

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Michael Eifler

**M. Michaelis Eifleri, P.P. Lineamentorum Logicae : Quatuor Tabulis Generalibus Comprehensorum Dilucidationis Opera ...**

**2 : Circa Tabulam II. Principalem De Enunciatione, Seu Propositione, Secundam Intellectus Operationem, in cognoscendo vero, dirigente**

[Regiomonti]: Typis Mensenianis, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796454728>

Band (Druck)   Freier  Zugang   



61,a-10.

Ansgariana

E 6-3185<sup>1.2</sup>.



Philosophie

M. MICHAELIS EIFLERI, P.P.  
LINEAMENTORUM  
LOGICÆ

Quatuor Tabulis Generalibus  
Comprehensorum

DILUCIDATIONIS  
OPERA II.

Circa Tabulam II. Principalem  
De ENUNCIATIONE,

SEU  
PROPOSITIONE,  
Secundam Intellectus Operatio-  
nem, in cognoscendo vero,  
dirigente.

Quam

D. D.

Sub Autoris Præsidio,  
Publicæ ventilationi

Subjicit Exercitij gratiâ

FABIANUS BERNHARDI,  
Wendensis Prussus.

In Acroaterio Majori Veteris Collegij  
Add. 2. Maij CIC IC CLIV.

---

TYPIS MENSENIANIS vulgata.

VIRIS HOMINUM

Generosis, Strenuis, ac Nobilissimis

Dn. FRIDERICO à PROECKEN, S.R.M.  
in Svecia VICE-COLONELLO meritissimo,  
Hæredi in Altenhoff / Hohenfeld / &c.

Dn. GASPARO à FROEBNER, Hæredit.  
in Weylacken / Baumgarten / &c.

Dominis, Patronis & Promotoribus suis suspiciendis.

Nec non

Viris Reverendis, Clarissimo, Præstantissi-  
mis, ac Doctissimis,

Dn. M. PHILIPPO CRAMERO, Pastorū  
Schippenbeylenis Ecclesiæ.

Dn. LAURENTIO DAVIDI RANGERO  
Archipresbytero & Pastorī in Schaten.

Dn. JOHANNI BIRTH, Pastorī  
in Langarben.

Dn. MICHAELI BERNHARDI,  
Pastori in Wenden / PARENTI.

Dn. CHRISTOPHORO ROMANO,  
Pastori in Langheim / AFFINI.

Dn. FRIDERICO SCHUBERTO,  
Pastori in Aßaunen.

Vigilantissimis ac Meritissimis, Evergetis, Fautoribus,  
Promotoribus, hoc Exercitium Disputatorum Publico-  
Consecrat ac Offert,  
FABIANUS BERNHARDI.



## II. PARS LOGICÆ De PROPOSITIONE.

**P**ROPOSITIO, secundam intellectus operationem, nempe compositionem & divisionem simpliciter apprehensorum, in cognoscendo vero, dirigens: est *Oratio*, affirmans aut negans aliquid de aliquo.

Vocatur aliàs *Enunciatio*; quam Aristoteles l. 1. de interpretatione c. 4. t. 4. definit, quod sit *Oratio verum vel falsum significans*. Ramæi vocant *Axioma*, quat. significatione generali, quodvis enunciatum; non speciali, pronunciatum ex se fide dignum notat.

Ejus consideranda, partim *Constitutio*, partim *Divisio*, partim *Affectio*.

*Constitutioni rectè primus assignatur locus, quia dat Esse Propositioni: Divisioni, secundus, quod Affectiones pleriq[ue] sine quibuidam Divisionibus enunciationis, exactè non percipiuntur.*

Aa 2

SECT. I.

## SECTIO I.

## DE CONSTITUTIONE PROPOSITIONIS.

*Constitutio fit ex Partibus: expendendis ratione Varietatis, & Proprietatis.*

## MEMBRVM I.

## De Varietate Partium Propositionis.

*Ratione varietatis, sunt partes propositionis vel Signantes, vel Obiective. Illæ dicuntur etiam partes enunciantes: hæc, partes enunciatae.*

*Partes propositionis Signantes sunt, ex quibus enunciatio formaliter constituitur.*

*Suntq; Propositionis vel Mentalis, vel Vocalis, & Scriptæ: cum materiales, tum formales.*

*Partes Propositionis Mentalis: Materiales sunt duo Conceptus; unus Subjecti, & alter Prædicati.*

*Formalis, est actus iudicij de convenientia, vel disconvenientia, qua rebus conceptis intercedit.*

E. gr. conceptus *arboris*, aut *fruticis*, tanquam Subjecti, & *plante*, tanquam prædicati, sunt partes materiales: harum autem, uti generis & speciei, convenientiæ cognitio, partis formalis rationem habet, in mente, propositionem intra se fabricante.

*Partes Propositionis Vocalis & Scriptæ, sunt vel Principales & Categorematicæ, simpliciter enuncia-*

nunciationem absolventes: vel *mimus principales* & Syncategorematicæ, partibus primarijs additæ, determinationem aliquam facientes. Et utræq; vel *materiales*, vel *formales*.

Partes Propositionis Vocalis & Scriptæ, *Principales* ac *Categorematicæ*, *Materiales*, sunt *Nomen*, & *Verbum*: *Formalis*, *Copula*.

**NOMEN** est vox significans ex instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separatim, atq; semper eorum quæ subiiciuntur signum est.

Estq; I. vel *Finitum*, certum aliquod ens, sive verum, sive fictum, significans: ut *Cymba*, *Charon*: vel *Infinitum*, indeterminatè quodvis aliud, præter id quod termino positivo denotatur, significans; ut *non-Cymba*, *non Charon*.

II. Vel *Rectum*, quod verbo præpositum, verum aut falsum significat: ut *Spiritus*, *Anima*: vel *Obliquum*, quod verbo præpositum verum aut falsum non significat: ut *Spiritus*, *Spiritum*, *Spiritu*.

**VERBUM** est vox significans ex instituto, cum tempore, cujus nulla pars significat separatim, atque semper eorum quæ dicuntur signum est.

Estq; similiter I. vel *Finitum*, sine negatione rem certam significans: ut *Volo*, *curro*: vel

*Infui*

*Infinitum*, cum negatione rem aliquam significans; ut *non-volo*, non curro.

II. Vel *Rectum*, quod est temporis praesentis, & modi indicativi; ut *Credo*, loquor: vel *obliquum*, quod non est temporis praesentis, & modi indicativi. Estq; obliquum, ex parte, vel temporis tantum; ut *Credebam*, credidi: vel modi tantum; ut *crede*, credam: vel utriusq; simul; ut *crederem*, credidisse.

III. Vel *Substantivum*; ut est verbum *Sum*, & huic confinia, Fio, Existo: vel *Adjectivum*, uti sunt verba reliqua.

Conveniunt ergo Nomen & Verbum Logicum in eo, quod utrumq; sit vox significans ex instituto. Scilicet, divino vel humano. 2. quod utriusq; nulla pars significet separatim. Scilicet, ejus quod tota vox denotat; nam aliam aliquam rem significare possunt, & nominis, & verbi partes. E. gr. Dominus, dominor.

Differunt autem in eo, quod Nomen sine tempore; Verbum cum tempore significet. 2. quod Nomen sit nota subjecti; Verbum, praedicati.

Ceterum, significare cum tempore, vel significare tempus, idem est, quod significare certam rem, per modum actionis, aut passionis, exercitari, in principali differentia temporis; uti sunt, praesens, prateritum, & futurum. V. gr. Clamo, dicie clamorem, per modum actionis propositum, in praesenti: Ver-

*ti: Verberabor, notat percusionem, uti passionens suscep tam in futuro. Et hoc soli Verbo competit, ut ut Nomen posse I. significare tempus; V. gr. dies, mensis, annus. II. significare differentiam temporis; V. gr. praesens, preteritum, futurum. III. connotare tempus; V. gr. prandium, cœna.*

*Copula, est signum externum interni iudicij mentis de convenientia, vel disconvenientia prædicati cum subiecto; quo partes materiales enuntiationis vocalis & scriptæ, combinantur. Vocatur etiam Vinculum propositionale.*

*Estq; Verbalis, in enunciatione simplici: vel Conjunctionalis, in enunciatione composita.*

*Verbalis est partim Explicita, per verbum substantivum, expressè positum; vt, cœlum est pellucidum: partim Implicita, per Verbum adjectivum, immediate nomini conjunctum, ut, cœlum movetur.*

*Utraq; non differt realiter à Verbo, quippe quod duplex officium exercet; unum materiale, quod est, significare rem aliquam ut exercitam in aliqua differentia temporis: alterum formale, quod est, dicere rem istam cum alia cohaerere, vel non cohaerere, tanquam cum subiecto suo.*

*Conjunctionalis, est vel primaria, cum coniunctio grammatica compositionem absolutam facit; uti sit in enunciatione connexiva, copula-*

pulativa, disjunctiva, discreta: vel secundaria, cùm conjunctio logica per particulas relatives compositionem collativam facit; uti sunt, Tantus-quantus, Talis-qualis, Ut si-sic, Quando-tunc, & id genus.

Partes propositionis vocalis, & scriptæ, minùs principales ac Syncategorematica, Materiales sunt, quæ præcisè faciunt ad integratatem nominis, aut verbi.

Quò spectant omnes determinationes, in enunciatione, per quamcunque partem orationis grammaticæ. V.gr. Miles qui strenuè pro patria pugnat, acquirit sibi laudem immortalē.

Formales sunt, quæ tantum cohaesionem præcipuarum partium materialium concernunt, adeòq; copulam præcisè modificant. Et sunt quatuor: Necesse, contingens, possibile, impossibile.

Partes propositionis objectivæ, sunt res, partibus formalibus enunciando significata. Et quidem materiales sunt Subjectum, & Prædicatum. Illud à Scholasticis Suppositum: à Ramæis, Antecedens; hoc, à Scholasticis Appositorum, à Ramæis, Consequens appellatur.

Subjectum est prior pars enunciationis objectivæ, cui tribuitur aliquid.

Prædi-

*Prædicatum est posterior pars enunciationis  
objectivæ, quod tribuitur alicui.*

*Formalis, est ipse consensus, aut dissensus  
prædicati cum subiecto, per copulam signi-  
ficatus.*

V. gr. Deus, utens supremum, per hanc vo-  
cem significatum, est *Subjectum*; Est aeternus,  
prout notat interminabilem ab *utraq; parte dura-*  
*tionem, est Prædicatum; Consensus eorundem ex-*  
*pressus per affirmationem Copulæ, formale*  
*propositionis hujus objectivæ, Deus est aeternus,*  
*appellatur.*

## MEMBRUM II.

### De Proprietate Partium Propositionis.

Fuit Partium Propositionis Varietas, Pro-  
prietas est partim *absoluta*, competens eis ratio-  
ne sui: partim *respectiva*, competens eis ratione  
*copulae verbalis*, aut *alterius alicuius termini con-*  
*nexi.*

*Proprietas partium enunciationis absoluta,*  
*dicitur Suppositio; quæ nil aliud est, quam ac-*  
*ceptio termini pro se, vel significato suo.*

*Estq; materialis, vel formalis.*

*Suppositio materialis est, cùm vox substitui-  
tur pro se ipsa. Vocatur etiam suppositio te-  
chnica, quod prædicatum subiecto tribuatur,  
ut affectio quædam grammatica.*

*Estq;*

Estq; vel *intrinseca*, cùm terminus accipitur pro seipso, per ordinem ad attributum ei cōpetens, in quantum est sonus. E. gr. *Deus* est *vox articulata*: vel *extrinseca*, cùm vox accipitur pro seipsa, per ordinem ad attributum ei competens, ratione significationis. E. gr. *Deus* est nomen, secundæ dec inationis, casus nominativi.

*Suppositio formalis* est, cùm vox substituitur pro suo significato. Estq;

I. Ratione *quantitatis*; vel *discreta*, quâ terminus substituitur pro significato, quod res singularis est. V. g. *Petrus* est Apostolus, Apostolus gentium est conversus miraculose: vel *communis*, quâ terminus substituitur pro significato, quod res universalis est.

Estq, vel *sine descensu*, quando non licet ad particularia progredi. V. g. *quantitas* est sumnum genus: vel *cum descensu*, quando licet ad particularia progredi; partim *completa*, quâ descendere licet ad omnia particularia, quæ dari possunt, V. gr. *animal* sentit, E. *homo* sentit, E. *Petrus*, *Paulus*, *Jacobus* sentit: partim *incompleta*, quando non datur descensus ad quævis inferiora quæ dari possunt, sed solum ad aliqua. V. gr. O. *animal* fuit in arca Noe; ubi solùm omnes species, & non insuper omnia specierum individua sumere licet.

II. Ra-

II. Ratione qualitatis; (1) vel *naturalis*, ubi terminus communis accipitur pro omnibus significatis quæ haberi possunt, ab omni nunc & hic, abstrahendo, V. gr. *homo* est animal: vel *accidentalis*, ubi terminus communis accipitur, aut pro quibusdam significatis, aut pro omnibus, ast non secundum quemcunq; statum, locum, vel tempus consideratis, sed secundum eam duntaxat temporis differentiā, quæ per copulam verbalem importatur. V.g. *homo* est doctus, *homo* locum occupat, scil: *homo* qui jam existit.

(2) Vel *propria*, cùm vox pro re quam sine tropo significat, accipitur, V.g. *Leo* fortissim⁹ quadrupedum ad nullius occursum pavet: vel *impropria*, cùm vox pro re quam cum tropo significat, accipitur, V. gr. *Vicit leo de tribu Juda. Variatq; prout species tropi variant.*

(3) Vel *affirmativa*, cùm terminus habet præfixum signum affirmans, aut universalitatis, aut particularitatis. E. gr. O. *Equis* est hinnibilis, Q. *Spiritus* est æternus: vel *negativa*, cùm terminus habet præfixam negationem aliquam, E. gr. N. *equus* est *spiritus*, Q. *spiritus* non est æternus.

III. Ratione quidditatis; vel *simplex*, quâ terminus accipitur pro significato tantum immedia-

mediato. Nempe, terminus universalis pro natura communi solum, E. gr. animal est genus: vel individualis, pro natura singulari solum, E. gr. Petrus est persona. Vel personalis, quâ terminus accipitur etiam pro significato mediato, V. gr. animal sentit.

Ubi nota: quidam vocant suppositionem personalem, quando terminus substituitur pro significato mediato: puta, terminus communis pro suis inferioribus, quorum ratione prædicatum verificatur de subjecto. V. gr. Equus currit. Qvod verum est de equo, non in communi, sed de hoc aut illo in particulari. Huicq; superaddunt Suppositionem absolutam, quam vocant: ubi terminus substituitur pro significato, tam mediato, quam immediato. V.g. Equus est animal.

Alij, bimembrem divisionem retinentes, suppositionem simplicem vocant, cum terminus accipitur pro re, quâ subsstat intellectus præcisioni, vel ab aliqua notione secundâ denominationem accipit. V.g. animal est universale, canis est species, Petrus est subjectum. Personalem vero, cum terminus accipitur pro significato finet ali statu, quem habet sub præcisione intellectus, aut denominatione ab aliqua notione secundâ. V. gr. animal est corpus sentiens, canis est animal, Petrus est homo.

Cæterum suppositionis personalis attendendæ sunt affectiones & species.

Affection-

*Affectiones sunt Adscensus & Descensus.*

*Adscensus est progressus à particularibus ad universale. V. gr. Petrus ratiocinatur, Paulus ratiocinatur, Maria ratiocinatur, & cæteræ personæ generis humani ratiocinantur. E. homo ratiocinatur.*

*Descensus est progressus ab universalis ad particula. Qui vel purus, vel mixtus.*

*Purus est vel copulativus, vel copulatus, vel disjunctivus, vel disjunctus.*

*Copulativus est, qui fit per conjunctionem copulativam copulatè sumptam. H.e. cùm à superiori descendit ad inferiora sigillatim & divisi sumpta. V. g. O. arbor nutritur, E. & pyrus nutritur, & pomus nutritur, & quercus nutritur, &c.*

*Copulatus est, qui fit per conjunctionem copulativam, copulatè sumptam. H. e. cùm à superiori descendit ad inferiora, non sigillatim, sed collectim sumpta. V. gr. Omnes Evangelistæ sunt quatuor. E. Matthæus, & Marcus, & Lucas, & Johannes (simul sumpti) sunt quatuor.*

*Disjunctivus est, qui fit per conjunctionem disjunctivam, disjunctivè sumptam. H. e. ita ut non distinguat integras enunciationes. E.g. aliquis homo est doctus. E, vel Socrates est doctus, vel*

vel Plato est doctus, vel Aristoteles est doctus, &c.

*Disjunctus est, qui fit per conjunctionem disjunctivam, disjunctè sumptam.* H.e. ita ut non integras enunciationes dividat, sed solum terminos in altero propositionis extremo. E.g. O. homo est animal. E.O. homo est animal vel rationale, vel irrationale.

*Mixtus est, qui partim copulativus, partim disjunctivus est.* Ut, O. animal fuit in arca Noe. E. Volucres fuerunt in Arca Noe. E. Passer fuit in arca Noe. E. vel hic, vel ille passer fuit in arca Noe.

*Species sunt quatuor. Nempe 1. suppositio copulativa, cum terminus communis substituitur pro suis inferioribus copulatively recensendis.* H.e. per integras propositiones, ita ut praedicatum cuivis inferiori subiecto separatim attribui possit. E.g. O. corpus naturale movetur. E. celum movetur, & ignis movetur, & aer movetur, &c.

*Estq; vel absoluta, vel accommodata.*

*Absoluta, quando simpliciter ad omnia particula descenditur.* Et est vel incompleta, cum distributio sit in genera singulorum. H.e. quando descensus sit ad omnia inferiora immediata, sed non mediata. *Seu; quando sub termino communis*

muni descenditur ad omnes species, sed non ad omnia singularum specierum individua. V. g. Christus sanavit omnem morbum. E. sanavit & lepram, & paralysin, &c. Sed non; E. sanavit & hanc, & istam, & illam lepram, paralysin, &c. Vel completa, cum distributio sit in singula generum. H. e. quando descensus fit ad omnia inferiora tam mediata, quam immediata. Seu, quando sub termino communis descenditur non solum ad omnes species, sed etiam ad omnia singularum specierū individua. V. g. O. animal sentit. E: & homo sentit, & Petr⁹, & Paul⁹, & Johannes sentit. E. & equus sentit, & Bucephalus sentit, &c.

Accommoda, quando non simpliciter ad omnia particularia descendere licet. V. gr. omnia teguntur à cælo: scilicet, præter ipsum. Omnes homines resurgent. scilicet, qui sunt mortui.

2. Suppositio copulata, cum terminus communis substituitur pro suis inferioribus collectivè sumptis. V. gr. omnes filij Jacob Patriarchæ sunt duodecim. E. Ruben, Simeon, Levi, Juda, &c. sunt duodecim.

3. Suppositio determinata, cum terminus substituitur pro suis inferioribus disjunctivè sumendis. Nempe per coniunctionem Vel, Aut, similem: disjungentem integras propositiones.

V. gr.

V.g. aliqua substantia naturalis est intelligens, E. vel cœlum est intelligens, vel elementum est intelligens, vel meteorum, vel minerale, vel planta, vel brutum, vel homo est intelligens.

4. Suppositio confusa, *cum terminus substituitur pro suis inferioribus disjunctim enumerandis.* Nempe per conjunctionē Vel, Aut, similemve, non integras propositiones, sed terminos tantūm disjungentem. V. gr. O. homo est animal. E. O. homo est animal vel rationale, vel irrationale.

Proprietas *Respectu Copulae verbalis*, est Status, Ampliatio, Distractio.

Status est acceptio termini secundūm illam temporis differentiam, quæ per copulam principalem ad significatur. Aut: ubi vox sumitur in eo tempore, quod verbum consignificat.

Estq; temporis vel presentis: ut, Christus qui sedet ad dexteram Patris, intercedit pro nobis. Vel Præteriti: ut, Christus qui crucifixus & mortuus est, resurrexit. Vel Futuri: ut, Christus reditur ad judicium, veniet in magna gloriâ.

Ampliatio est extensio termini, etiam ad aliam temporis differentiam, quam eam, quæ per copulam principalem ad significatur.

Estq;

Estq; vel ratione suppositi tantum; cum terminus extenditur ad plura supposita, V. gr. Studiosus est doctus. Vel ratione temporis tantum; cum terminus extenditur ad plures differentias temporis, sed non ad plures res, V. gr. Deus est omnipotens; quippe qui non solum est, sed etiam fuit, & erit, & quidem solus, Omnipotens. Vel ratione temporis & suppositi simul; cum terminus extenditur ad plures differentias temporis, & supposita diversorum temporum. V. gr. Finaliter credens salvatur: quippe finaliter credentes, & qui jam sunt, & qui fuerunt, & qui futuri sunt, salvantur, salvati sunt, & salvabuntur.

Distractio est traductio termini ad aliam temporis differentiam, quam est ea qua per copulam principalem ad significatur.

E. gr. Miles fortiter pugnans coronatur, h. e. qui fortiter pugnavit: aut, qui fortiter pugnat, coronabitur. Cæci vident, h.e. qui cæci fuerunt. Nempe, si Copula significat praesens, distractio fit ad præteritum, aut ad futurum. Si præteritum, distractio fit ad præsens aut futurum. Si futurum, distractio fit ad præteritum, aut ad præsens.

Ratione alterius termini connexi, sunt: Restri-  
Bb ctio,

**E**tio, Deminutio, Alienatio, Appellatio.

Restrictio est contractio termini, per additionem aliquam, à fusiori significatione ad angustiorem.

V. gr. Homo virtute præditus, laudatur. Ubi laus restringitur ad hominem determinatè sumptum, eum scil. qui virtutem colit. Estq; vel Suppositionis, vel statū, vel ampliationis, vel distinctionis: quoties alicujus additione contrahuntur ad pauciora. V. gr. O. homo credens salvatur. Sedens in Cathedra differit. Sedens in tabula surgebat. Cras moriturus nascitur.

Deminutio est determinatio termini ad significandum secundum quid, quod citra determinationem illam absolute significat.

V. gr. Homo est immortalis secundum animam. Äthiops est albus dentes. Et hæc estq; species Restrictionis.

Alienatio est translatio termini per additionem aliquam, à propria significatione ad modificatam.

V. gr. Angelus sculptus comburitur. Homo pictus non est rationalis. Scilicet Alienatio dicitur, quod alienum faciat terminum à nativa significatione suā.

Appellatio est applicatio significati per unam vocem ad significatum per aliam. Cujus notandi sunt part. termini, partim modi.

Termi-

Termini sunt Appellans, qui denominatio-  
nem tribuit alteri: & Appellatus, qui denomi-  
nationem accipit ab altero. V. gr. Corvus  
est niger: ubi terminus Niger applicat suum  
Significatum, ad significatum coryi. Et  
quidem

Terminus appellans est vel absolutus, vel co-  
notativus, vel substantivum, vel adjективum; secun-  
dum formale significatum accipiendum. E. gr. ho-  
mo est animal; est rationalis.

Terminus Appellatus est etiam absolutus, vel  
co-notativus, vel substantivum, vel adjективum; se-  
cundum formale, vel etiam secundum materiale  
significatum, accipiendum. E. gr. Musicus est  
doctus: musicus est architectus. Nam archi-  
tectum esse, tribuitur musico, non quia musi-  
cus est, sed quat. homo: sed doctum esse, tri-  
buitur musico, quat. est musicus.

Modi, quibus variatur Appellatio, sunt,  
quod 1. alia sit supra Subjectum, cum id quod  
appellatur, est subjectum enunciationis; Ut,  
homo qui legem facit, vivet: alia supra Prædi-  
catum, cum terminus appellans concernit  
prædicatum; Ut, animale est corpus sentiens.

2. Alia sit materialis, cum formale signifi-  
catum unius termini, applicatur supra signifi-  
catum materiale alterius; e. gr. Medicus æ-  
dificat

dificat, musicus est obæsus: *alia formalis*, cùm formale significatum unius termini applicatur suprà significatum formale alterius, V. g. Medicus sanat, Musicus canit.

3. *Alia sit realis*, cùm terminus appellans significat intentionem primam, V. gr. Deus est justus: *alia notionalis*, cùm terminus appellans significat intentionem secundam, V. gr. Deus est synonymum, paronymum.

Et istæ sunt octo proprietates, aut affectiones partium enunciationis, plurimū conferentes ad veritatis cognitionem: quas veteres Scholastici Parva Logicalia vocant; quod hac doctrina per modum aliqui parvi tractatus, expediatur: attendendo Prædictabilia, Prædicamenta, quæ tanquam principales partes Logicæ, plenius tractentur. Apud Aristotelem in Organo, licet semina quædam occurrant, ex instituto nil eorum existat, nec apud veteres Gracos commentatores; sed autor vulgo putatur Petr. Hispan. quamvis nonnulli velint, ex Michaele Psello Philosopho Graco Constantinopolitano, qui vixit circa An. Christi 1059. totam ferè Summulam suam, in cuius Tract. VII. prolixè traduntur, Petr. Hispanum depropnisiſſe.

## SECTIO II.

### DE DIVISIONE PROPOSITIONIS.

*Divisio Propositionis suppeditat varietatem ejus*

jus; penes qualitatem, quantitatem, & quidditatem spectatam.

### MEBRUM I.

#### De Divisione penes QUALITATEM.

*Qualitas Propositionis est vel essentialis, ei semper, & immediate, competens; ut affirmatio & negatio: vel accidentalis, ei non semper, & mediante priori, conveniens; ut veritas & falsitas.*

Est itaque *Propositio penes Qualitatem Essentialem, Affirmativa, vel Negativa.*

*Propos. Affirmativa est, cuius vinculum affirmatur. Aut, in qua prædicatum cum subjecto compunitur.*

Estque talis vel simpliciter & absolutè, vel secundum quid & respectivè.

*Simpliciter & absolutè talis, quæ tam intra, quam extra structuram syllogisticam, affirmans est.*

Estque duplicitis generis; I. cùm non tantum copula, sed etiam omnes termini, sunt affirmantes. E. gr. Deus est misericors, Angeli laudant Deum.

II. Cùm copula quidem affirmans est, sed termini sunt negantes, vel ex toto, vel ex parte. V. gr. Non-Deus colitur ab Ethnicis, In ecclesia sunt non-sancti, Non-ens est non-verum.

Secundum quid & respectivè talis, quæ solum in structurâ syllogistica affirmat infinitè, sed ex-

*tra eam verè negat.* Qualis est assumptio primæ figuræ, quoties medius terminus infinitus est. E. gr. Quisquis non credit, damnatur. Multi Christiani non credunt. E. Resolvē sic, & patebit: Non-credens damnatur. Q. Christianus est non credens. E.

Propositio negativa est, cuius vinculum negatur. Aut ; in qua prædicatum à subjecto dividitur.

Estqué talis vel formaliter & explicitè, vel virtualiter & implicitè.

Formaliter & explicitè talis, quæ per partículam Non, justo loco positam, removet prædicatum à subjecto. Quod fit, quoties negatio vel ipsa copulam, explicitè aut implicitè positam, proximè precedit ; V. gr. Deus non est autor peccati, Deus non mentitur; vel statim ab initio ponitur, aut inclusa signo, aut alio modo præfixa ; V. gr. Nullus lapis vivit, non angelus est æternus.

Virtualiter & implicitè talis, cùm per exclusivam, aliasve particulam, negandi vim habentem, prædicatum à subjecto removetur. V. gr. Solus Deus est omnipotens. Äquipollit huic: Nulla res, præter Deum, est omnipotens. Aut ; non-Deus non est omnipotens. It. Pauci sunt electi. Äquipollit huic: Multi non sunt electi.

II. Penes

**II. Penes Qualitatem Accidentalem, Vera vel  
Falsa.**

Propositio Vera est, quæ pronunciat uti res est. Aut; in qua disponuntur extrema secundum naturalem ipsorum habitudinem. Nempe, cum termini consentanei componuntur, & dissentanei dividuntur enunciando. Proindeque dicit id quod est, esse: quod non est, non esse.

Estque vel illimitata, quæ simpliciter & omnimodè veritatem obtinet; V. gr. O. Corpus naturale est materia mundi. O. homo est rationalis: vel limitata, quæ certo respectu solum, & in certa materia veritatem obtinet; V. gr. O. generatio fit cum essentiæ multiplicatione. scilicet, generatio Physic. Ex nihilo nihil fit. scilicet naturaliter & generatione Physicâ.

Propositio Falsa est, quæ non pronunciat uti res est. Aut; in qua disponuntur extrema contra naturalem ipsorum habitudinem. Nempe, cum termini consentanei dividuntur, & dissentanei componuntur. Proindeque dicit id quod est non esse, quod non est, esse.

Estq, falsa vel ex toto, cum ejus contraria est vera; V. gr. O. lapis sentit. Nam, N. lapis sentit: vel ex parte, cum ejus contradictoria est vera; V. gr. N. lapis est viridis. Nam Q. lapis est viridis.

## MEMBRUM II.

## De Divisione penes QUANTITATEM.

Penes Quantitatem, est propositio vel Universalis, vel Particularis, vel Singularis.

Propositio Universalis est, in qua predicatum subjecto communi tribuitur ex toto. Particularis, in qua predicatum subjecto cōmuni tribuitur ex parte.

Utraque rursus est vel indefinita, vel definita. Indefinita, cuius subjectum commune nullo signo quantitatis determinatur.

Estque signum illud, vel Universalitatis, vel Particularitatis.

Signum Universalitatis est vel affirmativum, vel negativum: & utrumq; nominale vel adverbiale.

Affirm. Nominale sunt: Omnis, Quisquis, Unusquisque, Quilibet, Uniuersi, Cuncti, Nullus non, Nemo non, Totus, Uterque. Adverbiale: Semper, Ubique, Nullibi non, Omnino.

Negat. Nominale sunt: Nullus, Nemo, Non unus, Ne unus quidem, Nihil, Neuter. Adverbiale, Nunquam, Nusquam, Nullibi, Nequaquam, Nullatenus.

Signum Particularitatis est etiam vel Nominales; ut Aliquis, Quidam, Multi, Pauci, Reliqui, Plerique, Pars, Alter: vel adverbiale; ut aliquo-

**Aliquoties**, Plerumque, Sèpè, Fere, Quandoque, Alicubi, Partim, Rarò. Item in cōtradic̄t. Non Omnis.

Hinc, *Propositio Definita* est vel *Universalis*, vel *Particularis*.

*Universalis*, quæ signum universalitatis habet. Estq; *directa*, vel *obliqua*.

*Directa*, cùm signum universitatis additur ipsi subiecto. V.gr. O. Corpus est mobile, N.corpus est expers materiæ. *Obliqua*, cùm signum universitatis partibus enunciationis admiscetur. V.gr. Pater amat omnes liberos, Q. d. Omnes liberi amantur à Patre.

Rursus, *Directa* est vel *absoluta*, cùm aliquid subiecto communi, mediante signo universitatis, tribuitur, sine ullius exceptione, sub ipso contenti, V.gr. O. Virtus est laudabilis, N.lapis est incorporeus. Vel *determinata*, cùm aliquid subiecto cōmuni, mediante signo universitatis, tribuitur, sub aliqua exceptione; vel expressè positâ, vel subintellec̄tâ, V.gr. O. homo est mendax. Scilicet, homo naturaliter prosemnatus. O. res in Republica sunt communes: exceptis ijs quæ non sunt contra pietatem, honestatem, & expressam legem.

*Particularis*, quæ signum particularitatis habet,

Bb 5

Estq;

Estque similiter vel *Directa*, cùm signum particularitatis additur ipsi subiecto. V. g. Quidam homines salvantur, Pauci sunt eleæti. Vel *Obliqua*, cùm signum particularitatis solum partibus enunciationis admiscetur. V. gr. Parentes quosdam liberos impensiùs amant. Q. d. Quidam liberi amantur impensiùs à parentibus suis.

Propositio Singularis est, in qua prædicatum subiecto singulari tribuitur.

Estq; vel *Simplex*, rem unam subiecti loco positam, insinuans; eamq; varijs modis significatam, ut in explicatione termini singularis dictum est. Vel *Complexiva*, plura quam unum, certâ ratione, mediante pronomine demonstrativo, significans, E. gr. porrecto vitro; Hoc est vinum. Et in propositione Sacramentali Biblica: Hoc est corpus meum.

Ad propositionem singularem reducunt quidam Enunciationem Præcisivam; quam & idem vocant: cùm subiectum absq; signo positum pro natura, quat. à singularibus abstracta, secundùm sese tantùm, obijcitur intellectui, sumitur, E. gr. Substantia est summum genus, Metallum est genus, Equus est species.

Mem-

## MEMBRUM III.

## De Divisione penes QVIDDITATEM.

Penes *Quidditatem* est Propositio vel simplex, vel composita. Seu *Categorica*, vel *Hypothesica*.

## ARTICULUS I.

## De Propositione SIMPLICI.

Propositio Simplex est, quæ constat uno subiecto, & uno predicato, vinculo verbali copulatis.

Estq; vel indeterminata, seu pura: vel determinata; partim Modalis, partim Exponibilis.

## PUNCTUM I.

## De Propositione PURA.

Indeterminata s. Pura, cuius prædicatum subiecto simpliciter convenit. Vocatur aliàs enunciatio de inesse.

Eaq; consideratur vel penes naturam partium in communi; vel ex parte prædicati.

Penes naturam Partium in communi, est Propositio Pura

I. Vel Finita, cuius extrema sunt termini finiti,  
V. gr. Deus est omnipotens, Lapis non sentit:  
vel infinita, cuius extrema sunt termini infiniti.  
Quæ talis ex parte 1. subiecti tantum; Ut,  
Qui non credit damnatur 2. prædicati tantum;  
ut,

**Ut, Cœcitas est non-ens.** 3. utriusq; simul: **Ut,** Corpus non-quantum est non-corpus.

**II. De Extremo**, vel Simplici, cuius tam subiectum quam prædicatum est terminus incomple-xus; **Ut, cælum est rotundum,** Ignis non est accidens: vel Conjuncto, cuius aut subiectum, aut prædicatum, aut utrumq; terminus complexus est. V. gr. **Corpus mixtum** est corruptibile, Metallum est corpus perfectè mistum, Homo doctus est commune bonum.

**III. Vel Realis**, cuius termini sunt intentionis prima, V. gr. Liberalitas est virtus, Prodigalitas est vitium: vel Notionalis, cuius termini sunt intentionis secundæ: aut utrinque, aut ex altera tantum parte, V. gr. Canis est species, Genus est prædicabile.

**IV. Vel Actualis**, cuius extrema supponunt pro rebus existentibus, aut sunt ens actū. V. gr: Deus est æternus, Aristoteles disputat: vel Aptitudinalis, cuius extrema præscindunt à rebus existentibus, aut sunt ens potestate; vel ex toto, V. gr. Rosa est flos, (etiam hyberno tempore, cum non extat) vel ex parte, V. gr. Christus fuit in Ecclesia Veteris Testamenti.

**V. Vel Perspicua**, quæ sensum planum ac ma-nifestum habet; **Ut, Cælum est corpus naturale**, Bos est animal: **vel Obscura**, quæ sensu-

*sum habet involutum; ob terminorum, aut conditionem, si sint vel ambigui, vel obsoleti, V. gr. Cancer est accidens, Ceritus est damnigerulus: aut connexionem, Ut, ajo te Æacida Romanos vincere posse.*

**VI.** *Vel Per se nota, quæ cognoscitur ex solis terminis penetratis, h. e. exactè cognitis. Estque talis vel secundùm se tantùm sive cuius cognitio solùm excludit principium essendi; V. gr. Totum est maius suâ parte: vel secundùm se simul & quoad nos, quæ nec essendi, nec cognoscendi principium ad suu notitiam requirit; E. gr. Impossibile est idem simul esse & non esse. Vel nō per se nota, quæ cognoscitur per aliud, se prius, principium, adeoq; probatur, V. gr. Cælum est rotundum, Stellæ non sunt planæ.*

**VII.** *Vel Identica, in qua prædicatur idem de scipso. Quæ vel nugax, in qua simpliciter idem de eodem dicitur, V. gr. Proditor est proditor: vel intensiva, in qua secundùm quid idem de eodem prædicatur.*

*Estq, vel diversa voce, sed eadem significatione. V. gr. cùm definitio de definito dicitur, Ut Homo est animal rationale: vel eadem voce, sed diversa significatione, V. g. Mundus est mundus, h. e. fallax, mendax, vanus. It. Confusus*

Si hic verè consul est, h.e. prudenti consilio  
Rempublicam gubernans. Vel non identica,  
in qua diversum est subiectum, & pradicatum, E.  
gr. Proditor est improbus, Mundus interibit.

VIII. Vel homogenea, s. pura, quæ constat  
ex terminis unius discipline, V. gr. Christus est  
Messias, Lapis est minerale. Genus est præ-  
dicabile: vel heterogenea, s. mixta, quæ con-  
stat ex terminis diversarum disciplinarum, E. gr.  
Christus est verus homo, lapis est pyrami-  
dalis.

Ex parte Predicati, I. Signantis est Proposi-  
tio Pura i. vel Substantiva, cuius alterum ex-  
tremum verbo substantivo constat, V. gr. Deus est  
homo, Deus est factus homo: vel Adje-  
ctiva, cuius alterum extremum est verbum adjecti-  
vum, V. gr. Deus vivit, Deus miseretur.

II. Vel Binaria, cuius alterum extremum solo  
verbo constat; aut substantivo, V. gr. Unicornu-  
s est, Antipodes sunt: aut adjectivo, V. gr. cœ-  
lum movetur, terra quiescit. Vel Trinaria,  
qua verbo substantivo, cum nomine quodam addito,  
constat, V. gr. Cælum est corpus simplex, ter-  
ra non est æterna.

III. Vel Secundi adjetti, in qua verbum sub-  
stantivum integrum pradicatum absolvit, V. gr. In-  
fernus

fernus est, Purgatorium non est, Diluvium fuit: vel Tertij adjecti, in qua verbum substantivum integrum prædicatum absolvit unà cum aliquo termino superveniente. V. gr. Infernus est præparatus malis, Purgatorium non est locus subterraneus, in quo purgentur à reliquijs peccatorum salvandi. Diluvium fuit universale.

II. Signati, seu rei per Verbum Logicum significatae: est Propositio pura, spectando Prædicatum in se, vel Positiva, cuius prædicatum est ens reale positivum, V. gr. Comitas est virtus: vel Privativa, cuius prædicatum est ens privativum, V. gr. aer est tenebrosus.

Attendendo autem modum attributionis eiusdem ad subjectum; i. vel Ordinata, naturalis, & directa, in qua quod per naturam inest, prædicatur. Idq; fit, quoties aut inferiora quidditativa suis superioribus subiiciuntur; Ut, bos est animal, accidens estens: aut inherentia subjectis suis attribuuntur; Ut, corvus est niger, accidens est separabile. Vel inordinata, innaturalis & indirecta, in qua, quod per naturam in est, subiicitur. E. gr. animal est bos, nigrum est corvus.

II. Vel Synonymica, in qua prædicatum est de essentia subiecti; vocatur etiam essentialis, & in abstracto; vel Paronymica, in qua prædica-

sum

*tum non est de essentia subjecti: vocatur etiam ac-*  
*cidentalis, &c in concreto.*

*Utrāq; verò, vel Prædicamentalis, quæ datur  
 in rebus ad certam categoriam spectantibus; adeoq;  
 cùm prædicatum Synonymicum est aut genus, aut  
 species, aut differentia; Paronymicum, aut  
 proprium, aut accidens. Vel non-prædicamen-  
 talis, quæ datur in rebus constitutis, aut supra  
 categorias; quæ partim Transcendens, in qua  
 prædicatū est terminus Metaphysicus, V.gr.  
 Deus est ens, ens est unum: partim Eminens,  
 in qua prædicatum est terminus mysticus,  
 aut pure divinus, V. gr. Spiritus sanctus est  
 persona SS. Trinitatis, Spiritus S. est omni-  
 præsens: aut infra categorias, ubi prædicatum  
 est terminus deficiens, ob entitatis vel debi-  
 litatem, vel nullitatem, E.gr. Ironia est tro-  
 pus, cæcitas est defectus.*

III. *Vel Usitata, in qua prædicatum est ve-  
 rum prædicabile, V. gr. Smaragdus est gem-  
 ma, Bucephalus est equus, equus est hinni-  
 bilis, albus: Vel Inusitata, in qua prædicatum  
 non est verum prædicabile; sed disparatum de dispara-  
 to prædicatur affirmativè sine tropo. Quæ partim  
 Personalis, in articulo de Persona Christi; tū  
 biblica, V.gr. Germen Davidis est Jehova:tum  
 ecclesiastica, V. gr. Deus est homo. Partim*

SACRA-

*Sacramentalis, etiam vel biblica, tum Evangelistica, V. gr. Hoc est corpus meum; tum Apostolica, V. gr. Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: vel ecclesiastica, V. gr. Panis est corpus Christi, Vinum est sanguis Christi.*

**I.** *V. Vel Propria, que caret ornatu rhetorico. Aut, in qua prædicatum subjecto convenit fine tropo. V. gr. Tyrannus est homo, Campus floret. Vel Impropiaria, seu modificata, que constat ornatu rhetorico. Aut, in qua prædicatum subjecto convenit cum tropo. V. gr. Tyrannus est lupus, Urbs floret.*

**V.** *Vel Necessaria, in qua prædicatum subjecto convenit immutabiliter: vel Contingens, in qua prædicatum subjecto convenit mutabiliter.*

Rursus *Propositio Necessaria* est vel *ex materia necessaria*, cùm prædicatum non potest non convenire subjecto; vel *ex materia impossibili*, cùm prædicatu non potest covenire subjecto, V. gr. Deus non est autor peccati, Lapis non est Spiritus, Tenebrae non sunt substantia.

*Ex materia necessaria* vero triplex est: 1. *De Omni*; cùm prædicatum omni subjecto semper inest, V. gr. homo est erectæ statuæ.

2. *Per se*; cùm prædicatum omni subjecto semper inest essentialiter.

Estq; vel *Primi modi*, cùm prædicatum est

Cc de de-

de definitione subjecti, H.e. attributum Synonymicum, cuiuscunq; sit ordinis aut conditionis; Ut, equus est substantia, Deus est spiritus, Christus est homo.

Vel Secundi modi; cum subjectum est de definitione praedicationi. H.e. proprium quarti modi, vel saltem instar ejus: in cuius definitione semper subjectum ponitur; Ut, homo est risibilis, Deus est omnipotens, Ens est verum.

Vel Tertiū modi; cum praedicatum est ipsum Esse. V.gr. Deus est, dæmones sunt. Aut ut alij malunt: in qua praedicatum de primo suo subjecto dicitur. V.gr. Medicus sanat, musicus canit.

Vel Quartū modi; cum causa externa proxima cum effectu suo conjungitur. V.gr. Dolor est solutio continui, Eclipsis est interpositio.

3. Universaliter primum; cum praedicatum omnisubiecto semper inest essentialiter, quantum ipsum est. H.est: vi propriæ naturæ. V.gr. homo est rationalis, homo est risibilis.

Propositio Contingens, est ratione mutabilitatis, de contingente, vel equaliter; ut, equus currit: vel ut plurimom; ut, dies caniculares sunt calidi: vel raro; Ut, fossor agri thesau-

rum

rum invenit. Ratione differentie temporis; vel de praesenti, V. gr. Cælum est nubilum: vel de praterito, V. gr. Poloni vicerunt Tartaros: vel defuturo, V. gr. Cras erit cælum serenum.

### PUNCTUM II.

#### De Propositione MODALI.

Propositio Modalis est, quæ dicit aliquid esse, vel non esse, sub certo modo.

Cujus consideranda partim constitutio, partim illustratio, partim divisio.

Constitutio propositionis Modalis requirit dictū, & modum.

Dictum est enunciatio pura, s. de inesse. Dicitur quibusdam officians.

Modus est determinatio cohesionis predicationis cum subjecto.

Nominatur alias cum addito; Modus Formalis, ad differentiam modi Materialis, qui determinat vel tantum partes materiales enunciationis: nemirūm præcisè subiectum, aut prædicatum, V. gr. Homo doctus disputat acutè, Cælum cras pluet: vel integrā enunciationem; per ordinem aut ad intellectum, V. gr. Creditum est, pygmæos dari, Pium est, parentes colere, Iustum est, suum cuique tribuere: aut ad objectum, V. gr. Verum est, finaliter credentes in Christum salvati, Falsum

Ccij est,

est, omnes homines ad vitam æternam elec-tos esse.

*Eftq; respectu I. Quidditatis;* Necesse, Im-possible, Possibile, Contigens. Qui non tan-tum nominaliter, sed etiam adversariaiter, & ex parte verbaliter exprimuntur; E. gr. potest, non potest, contingit.

Necesse, dicit prædicatum immutabiliter cum subiecto coniunctum esse. Vel absolute, V. gr. Necesse est Deum esse Spiritum: vel conditionate, V. gr. Necesse fuit Deum incarnari.

Impossible, dicit prædicatum immutabiliter à subiecto divisum esse. Seu simpliciter, & absolute, V. gr. Impossible est Deum mentiri: seu secundum quid, & ex suppositione, V. gr. Im-possible est Deo placere sine fide.

Possibile, dicit prædicatum mutabiliter subiecto non convenire. Vel, actu quidē non esse coniunctum cū subiecto, posse tamen cum eo cōjungi, V. gr. Possibile est divitē fieri mendicū.

Contingens, dicit prædicatū mutabiliter subiecto convenire. Vel, actu quidem esse coniunctum cū subiecto, posse tamen ab eodem abesse, V. gr. contingens est, diem hunc esse serenu.

*II. Quantitatis,* vel Universalis, temporis perpetuitatem insinuans; aut ponendo, ut Necesse,

celle, aut tollendo, ut Impossibile: vel particularis, solum aliquod tempus innuens; aut praesens, ut Contingens, aut prateritum, vel futurum, ut Possibile.

III. Qualitatis; vel affirmans, ut Necesse, Possibile, Contingens: vel negans, ut Impossibile.

Illustratio fit, mutando modum nominalem in adverbiale, immediatè positum ante copulam. E. gr. Necesse est Deum esse spiritum; illustratur sic: Deus necessario est spiritus. Impossibile est, Deum mentiri; illustratur sic: Deus non potest mentiri. Possibile est, diem extremum hoc anno venire; illustratur sic: Dies extremus potest hoc anno venire. Contingens est, hominē esse lapsum; illustratur sic: homo contingenter est lapsus.

Divisio suppeditat varietatem Propositionis Modalis, attendendo quidditatem, qualitatem, & quantitatem eius.

Quidditas aestimatur ex Modo: spectato partim in se, quomodo Propositionis Modalis est vel de Necesse, cum necessitate; vel de Impossibile, cum impossibilitate; vel de Possibile, cum possibilitate; vel de Contingens, cum contingentiâ, Copula verbalis determinatur.

Partim sius ratione; quomodo Propositionis  
Cc 3 Moda-

*Modalis* est vel *coniuncta*, seu *composita*, cum modus ponitur extra partes dicti. Nimirum, aut ab initio, V. gr. *Contingens* est hominem credere: aut *in fine*, V. gr. *Hominem* credere *contingens* est. Vel *Divisa*, cum modus ponitur intra partes dicti. Nimirum, immediate ante copulam; V. gr. *Corpus* necessariò est quantum, *Spiritus* non potest esse quantus.

*Qualitas* est aut *Essentialis*: cuius respectu, *Propositio Modalis* est vel *affirmativa*, constans modo affirmante, qui triplex: *Necessitatem*, *Possibilem*, *Contingens*. V. gr. *Homo* necessariò est *animal*, *hominem esse animal* *necessitatem* est, possibile est *rudem fieri doctum*, possibile est *rudem non fieri doctum*. Vel *negativa*, constans modo negante; qui partim *Impossibile*, partim alij modi negationem præfixam habentes. V. gr. *Impossibile* est *Deum mentiri*, *homo non necessariò currit*, non possibile est *rudem fieri doctum*.

Aut *Accidentalis*; cuius respectu *Propositio modalis* est vel *Vera*, cum modus talern materiam determinat, qualem ipsa requirit. V. gr. *necessitatem* est *cælum esse corpus*, *Homo contingenter* sedet. Vel *Falsa*, cum materia tali modo de-  
stituitur, qualem ipsa requirit. V. gr. *necessitatem* est *cælum esse rotundum*, *contingit hominem esse animal*.

Quantit-

Quantitas exhibit Propositonem modalem Universalem, Particularem & Singularem. Eamquæ duplēcēm; aliam penes dictum, & aliam penes modum. Hæc simpliciter & propriè talis est; illa secundūm quid, & impropriè.

Modales Divisæ habent omnis generis quantitatem; E. gr. O. homo necessariò est animal, Aliquem hominem contingit esse consulem, Socrates contingenter est Philosophus. Compositæ, non habent propriè loquendo quantitatem nisi singularem; quodcumq; tandem signum sit in dicto. Nam, ut Tielmannus l. 3. Confid. Dial. c. 21. docet, in eiusmodi modalibus subintelligitur terminus; hæc enunciatio: notans individuum ex demonstratione, subiectum innuens. E. gr. Omnem hominem esse animal, necesse est. Coincidit cum illa: hæc enunciatio, hominem esse animal est necessaria, vel de necesse.

Præterea, Necesse & Impossibile signant propositionem universalem, universalitate temporis: contingens & possibile signant propositionem particularem, particularitate temporis; uti docet Fonseca l. 3. Instit. Dial. c. 10.

### PUNCTUM III.

#### De Propositione EXPONIBILI.

Propositio Exponibilis est, quæ propter difficultatem, ex quibusdam particulari, aut aliunde, profectam, indiget expositione.

Cc 4

Voca-

Vocatur etiam à quibusdam *Modalis secundaria*, vel *secundariò modalis*; ideo quod particula constituens exponibilem, certâ quâdam ratione dispositionem prædicati cù subiecto determinet. An nonnullis *Implicita* nominatur, quod virtute plures enunciationses, quibus exponitur, continet. Hinc etiam ad *compositam*, eandem aliqui referunt.

Hujus attendenda, cùm *Divisio*, tum *Expositio*.

I. Quoad *Divisionem*, est *propositio exponibilis* vel *Primaria*, cuius obscuritas est ex aliqua particula. Vel *Secundaria*, cuius obscuritas non est ex aliqua particula, sed ex ipsa materia.

*Primaria quadruplex* datur. *Exclusiva*, *Exceptiva*, *Restrictiva*, *Comparativa*.

*EXCLUSIVA* est, quæ signum habet exclusivum. Quod est vel *nominale*, V. gr. *solus*, *unus*, *unicus*, it. *pauci*, *rari*: vel *adverbiale*, V. gr. *tantum*, *tantummodo*, *solum*, *solummodo*, *duntaxat*, *demum*, usq; *donec*, & id genus.

Estq; I. vel *exclusi subiecti*, quæ à subiecto removet alia subiecta, quibus prædicatum non covenit: vel *exclusi prædicati*, quæ removet à prædicato alia prædicata consimilia, quæ subiecto non convenient.

Utraq;

*Utrāq; rūlus est affirmans vel negans.*

*De excluso subiecto Affirmans est, ubi prædicatum cum subiecto componitur. Estq; finita vel infinita.*

*Finita, cùm & signum & verbum simpliciter affirmat. E. gr. Solus Deus est aeternus, sola fides justificat.*

*Infinita, cùm infinitatur aut signum, quoties huit particula negandi præposita, non totam enunciationem reijcit, sed modò terminum exclusivum concernit. E. gr. Non solo pane vivit homo. Nam & verbo Dei vivit. Quæ significatius effertur per hunc æquipollentem: Panis nou est sola res illa, quâ homo vivit. Aut verbum, quoties particula negandi huic additur. E. gr. Solus homo Christus non est peccator. Hanc negativam non esse patet; quia negatio non fertur supra signum exclusivum.*

*De excluso subiecto Negans est, ubi subiectum à prædicato dividitur. Adeoq; particula negandi non modò signum, sed totum enunciatum tollit. Hoc a. sit, cùm talis exclusiva contradictione opponitur affirmanti suæ, nullam affirmantem includens, E. gr. Non solus Angelus est spiritus. H.e. non est verum solum Angelum esse spiritum.*

*De excluso prædicato Affirmans est, ubi quoq;*

*Cc 5 prædi-*

*predicatum cum subjecto componitur. Estq; pariter finita, vel infinita.*

*Finita, quæ pure tribuit predicatum exclusivum subjecto. V. gr. Elementa sunt tantum quatuor, Prædicabilia sunt tantum quinque.*

*Infinita, cum infinitatur, aut duntaxat signum, quoties illud præcisè infinitatur. E.g. Fides non solum justificat. H. est: Fides non est res illa quæ sola justificat. Aut verbum, quoties principale significatum eius infinitatur. E.gr. Homo in statu integritatis, tantum potuit non peccare.*

*De excluso Prædicato Negans est, quando particula negans predicatum totum excludit. E. gr. Non tantum quatuor sunt elementa. Non tantum quinque sunt prædicabilia.*

*II. Gratiæ vel alietatis, in qua non datur dictio numerum importans. E. gr. Solus equus est hinnibilis, Deus est tantum unus. Dicitur etiam exclusiva distributionis. Vel pluralitatis, in qua datur dictio numerum importans. E. gr. Tropi sunt tantum quatuor, Planetæ sunt tantum septem.*

*EXCEPTIVA est, quæ signum habet exceptivum.*

*Quod etiam est vel nominale; Ut, excepto, secul-*

Secluso, dempto: vel adverbiale; Ut, præter, præterquam, nisi, nonnisi.

Ejus notandæ sunt *conditiones*, & *species*. Conditiones sunt: i. Ut id à quo excipitur, non modò sit commune pluribus, & determinatum signo universali cum distributione; sed etiam communis est quod excipitur. V. gr. non est vera exceptiva: Aliquis homo, præter Davum, est Philosophus. Item, O. homo, præter animal, dormit. Nam excipere, nil aliud est quam à toto genere partem detrahere.

ii. Ut id quod excipitur, sub eo contineatur, à quo excipitur. Proindeque debet subjectum verificari de excepto. Sic ineptè excipis. O. homo, præter brutum, est animal rationale.

Species, laxè tales, attenduntur ratione quidditatis, qualitatis, & quantitatis.

Ratione quidditatis; est Exceptiva de excepto, vel subiecto, cùm à subiecto aliquid excipitur, cui prædicatum istius subiecti detrahitur, E. gr. Omnes homines, præter octo, perierunt diluvio, O. corpus naturale, excepto cælo ultimo, est in loco: vel prædicato, cùm à prædicato aliquid excipitur, quod subiecto non convenit, V. gr. Homo dignior est omnibus alijs creaturis, præter Angelos.

Chri-

**C**hristus factus est nobis per omnia similis,  
excepto peccato.

Ratione qualitatis, est Exceptiva partim af-  
firmans, partim negans.

Affirmans est, tum finita, in qua simpliciter  
& signū, & verbū affirmatur. E. gr. Quisquis  
dimiserit uxorem suam, nisi propter fornicationem,  
committit adulterium, Matt. 5. 32.  
O. forma corporis naturalis, præter animam  
rationalem, est corruptibilis.

Tum infinita, vel de signo, cùm negatio so-  
lùm vocem exceptivam afficit, & non totam  
enunciationem. Illud autem fit, quoties ex-  
ceptiva de negato signo, non contradicit al-  
teri, sed absolute solùm attenditur. E. gr.  
Non omne brutum, præter pisces, est gressile:  
est infinita ex parte vocis exceptivæ,  
quia quæ videtur huic opposita, O. animal,  
præter pisces, est gressile, includit eandem  
negantem simplicem: Pisces non ingredi-  
untur.

Vel de verbo, cùm negatio infinitans verbū  
afficit. Et quidem infinitatur, aut prior copula  
verbalis, in exceptiva latens. Atq, tunc affinis  
est illi, quæ vocem exceptivam tantum ne-  
gat. Ut, præter electos, non sunt nulli re-  
dempti. Q. d. Electi sunt ij, præter quos nul-  
li sunt redempti.

Aut

*Aut posterior copula verbalis.* Ut, Præter electos, sunt nonnulli redempti. Q. d. Electi sunt illi, præter quos, aut quibus exceptis, alij sunt redempti.

Negans est, in qua negatio concernit totam enunciationem exceptivam. Idque sit, si verè contradicitei cui opponitur, & non eandem cum ipsa simplicem enunciationem includit. V.g. N. re, nisi fide, justificamur. Scilicet instrumentaliter, & quidem ex parte nostri. Huic universalis, congruenter expositæ, opponitur illa: Non nulla re, nisi fide justificamur. Exponentes harum duarum oppositarum, tales erunt. Nihil quod non est fides justificat: & fides justificat. Contrà: aliquid, quod non est fides, justificat; & nulla fides justificat.

Ratione quantitatis, vel universalis, vel particularis.

Universalis est, in qua signum universale præponitur subiecto, à quo fit exceptio. V. gr. O. animal, præter talpam, videt. N. animal, præter hominem, est capax disciplinæ.

Particularis, qua signum particularitatis habet ex negatione & signo universalis conflatum. Utī sunt: non omnis, non nullus, non nihil, non nemo. V. gr. non O. animal, præter hominem, est quadrupes. Non-nulli præterelectos sunt

funt à Christo redempti. Verùm particula-  
res non sunt. Q. homo præter Davum, est  
Philosophus, Q. substantia, præter equum,  
currit. Nam in istismodi, non est subjectū  
communius eo, quod excipitur. Ibì verò se-  
cūs est.

**RESTRICTIVA** est, quæ signum habet re-  
strictivum.

Dicitur etiam **Limitativa**. Signum autem  
Restrictivum est: Secundūm, quatenus, quā,  
penes, eā ratione quā, secundūm quod, pe-  
nes quod, & id genus.

Estq. **Reduplicativa**, vel **Specificativa**. Prout  
signum restringens nunc reduplicative, nunc  
specificative sumitur.

**REDPLICATIVA** est, quando signum re-  
strictivum exprimit causam, ob quam prædicatum  
subjecto convenit.

Eamque vel propriè dictam; tum efficientem,  
V. gr. lapis, in quantum est gravis, tendit  
deorsum: tum materialem, V. gr. Corpus in  
quantum est materiatum, est passibile: tum  
formalem, V. gr. arbor in quantum habet ani-  
mam, vivit: tum finalem, V. gr. veritas,  
quat. artificiois differendi modis obtainenda,  
requirit Logicam. Vel impropriè dictam, quæ  
causa sive quā non, alias appellatur, V. g. Ignis  
quā

quà propè, urit. Sol quat. valvæ sunt à fenestris remotæ, illuminat hypocaustum.

Ubi nota: ad causam formalem revocari potest reduplicatio, quæ fit circa subjecta disciplinarum. Ut Ens in quantum ens, contemplatur Metaphysica, Corpus naturale, quà tale, speculatur Physica. Restrictionem verò per causam sine qua non, uti conditionem, ad specificatiuā non malè retuleris.

Ceterū, Propositio Reduplicativa quadrupliciter adhuc variat. I. Cum & signum & verbum affirmatur. E. gr. Homo quat. homo, est disciplinæ capax. II. Cum signum affirmatur & verbum negatur. E. gr. Homo quat. est animal, non est capax disciplinæ. III. Cum signum negatur, & verbum affirmatur. E. gr. Homo non quat. animal, est risibilis. IV. Cum & signum & verbum negatur. E. gr. Homo non quat. homo, non est disciplinæ capax.

SPECIFICATIVA est, quando signum restrictivum denotat naturam, partem, conditionem, statum, aliam vē rationem, secundūm quam prædicatum subiecto convenit.

Estq, vel Diminuens, in qua signum specificativum determinat prædicatum subiecto suo convenire, non simpliciter & absolute, sed solūm secundūm aliquid sui, V. gr. Ho-

mp

mo secundum animam est immortalis, *Aethiops* quâ cutem, est niger: vel *Explicans*, in qua signum specificativum, non tam necessitatis, quam declarationis, aut ornatûs causâ additur. V. gr. Bonum in quantum bonum, est appetibile. Canis quantum ad pedem claudicat.

**COMPARATIVA** est, in qua prædicatum de subiecto collatè dicitur.

Estq; signum comparativum, partim nominale, veluti sunt nomina gradus comparativi. V. gr. doctior, prudentior: partim adverbiale, V. gr. Sic-uti, quemadmodum-ita, &c.

Ipsa verò talis est, vel proprie, cùm tertium comparationis utrique extremo competit. E. gr. Solest altior Lunâ, Aer est humidior aquâ. Vel impropriè, cùm tertium comparationis convenit extremo, seu tantum alteri, V. gr. Melius est nubere quam ura: seu neutri, V. gr. Ebrietas est melior furtô.

*Exponibilis Secundaria* est, partim Inchoativa, seu de incipit: in qua verbum Incipit, aut huic simile, difficultatem parit. Estq; rerum aut permanentium, aut succedentium. Ut, lapis incipit esse, motus incipit esse.

Partim *Desitiva*, seu de definit, in qua verbum definit, aut huic affine, difficultatem parit.

Atq;

Atq; similiter est rerum permanentium,  
aut succedentium. Ut, lapis definit esse,  
motus definit esse.

Partim Discrepativa, seu de differt, in qua  
verbum Differt, aut aliud nomen, Diversum, &  
id genus, difficultatem parit. Ut, asinus differt  
à mulo, metallum est aliud à lapide.

*Expositio*, concernit I. Exclusivam. Et quidem 1. Quæ tota videtur affirmans; Exponitur per affirmantem indefinitam, & negantem universalem. E. gr. Solus homo ratiocinatur. Exponitur sic: homo ratiocinatur, & aliud ab homine non ratiocinatur. Aut, quicquid non est homo, non ratiocinatur.

II. *Quæ signum habet negativum, & præjacentē affirmativā*, Si negatio solum signum cōcernit viāq, naturali tantū solitatē negat; Exponitur per duas affirmativas. E. gr. Non solus homo dormit. Exponitur sic: homo dormit, & aliud etiam ab homine dormit; aut, ali- quid quod non est homo, dormit.

Si vero simul contradicit, atq; sic & signum negat, & integrum enunciationem tollit; Exponitur per uniuersalem negativam, aut æquipollen-tem universali singulare, & particularem af- firmativam. E. gr. Pontificius asserat: Solus Pon- tifex Romanus est infallibilis in decidendis fidei con-

Dd troyer-

*controvercis.* Contradicit Orthodoxus: Non solus Pontifex Romanus est infallibilis in decidendis fidei controversiis. Exponitur sic: Non qui Pontifex Romanus est, est infallibilis in decidendis fidei controversiis. & alius, qui non est Pontifex Romanus, est infallibilis in decidendis fidei controversiis. Item afferat Turca: Solus Mahomet intercedit pro nobis apud Deum. Contradicit Christianus: Non solus Mahomet, &c. Exponitur sic; N. qui Mahomet, intercedit pro nobis apud Deum, & alius qui non est Mahomet, intercedit pro nobis apud Deum. Ast non ita: Mahomet intercedit pro nobis apud Deum, & alius qui non est Mahomet, intercedit pro nobis apud Deum.

III. Quæ signum habet ab expressa negatione liberum, & præacentem negativam, E. gr. Tantum homo non stetit in integritate sibi concreata; Exponitur sic: homo non stetit in integritate sibi concreata: reliqui verò, qui sunt in integritate creati, steterunt.

IV. Quæ duas habet negationes, vnam in principio juxta signum, & alteram ante copulam in medio; Exponitur per universalem & particularem negativam. E. gr. Non tantum lapis non est animal, Exponitur sic: N. lapis est animal, & aliquid quod non est lapis, etiam non est animal.

II. Exceptivam, Quæ si fuerit, i. Universalia

*lis affirmans, penes & signum, & praecedentem enunciationem;* Exponitur per unam negativam indefinitam, in qua prædicatum à parte excepta removetur, & alteram affirmativam definitam, quæ non differt ab exposita, nisi quod loco signi ponatur nota alietatis. Ex:gr. Omnia præter peccatum, sunt à Deo. Exponitur ita: Peccatum non est à Deo; alia vero, quæ sunt, sunt à Deo. Vel etiam sic: Quicquid non est peccatum, non est à Deo.

ii. *Universalis affirmans, cuius signum negatur;* Exponitur compendiosè, per unam universale affirmantem, mutando signum in conjunctionem copulativam. Etiam. E. gr. O. animal, ne quidem homine excepto, est mortale. Exponitur ita: O. animal, etiam homo, est mortale.

iii. *Universalis negans, cuius signum affirmatur;* Exponitur vel solâ mutatione signi Nisi in negationem relativam. Quod non: aut etiam per universalem negativam, & duas affirmativas; quibus pro re nata præponi potest signum vel universale, vel particulare. E. gr. Nullum est Unicornu, nisi sit animal. Exponitur ita: N. Unicornu, quod non est animal, est, aut existit. Item, O. animal præter hominem, non est particeps rationis. Vel, N. animal

Dd 2 præter

præter hominem, est particeps rationis. Exponitur ita: N. animal, quod non est homo, est particeps rationis: & homo est animal, & homo est particeps rationis.

IV. Universalis negans, cuius etiam signum negatur; Exponitur compendiose, per unam universalem negantem, mutando signum in cōjunctionem copulativam Nec. E. gr. N. animal, ne homine quidem excepto, est immortale. Exponitur ita: N. animal, nec homo, est immortale.

III. Restrictivam. Quæ contractius Exponi potest, i. Si sit Reduplicativa, per causalem Quia. V. gr. ignis, quia calidus est, urit. Exponitur sic: Ignis urit, quia calidus est. ii. Si verò sit Specificativa, per relativum Qui, Quæ, Quod. E. gr. homo, quatenus capillos habet, est crispus. Exponitur sic: homo qui capillos habet, est crispus.

Fusius, per quatuor enunciationes, quarum tres priores sunt simplices, & ultima composta. E. gr. O. homo, quat. rationalis est, est risibilis. O. homo est risibilis, & O. homo est rationalis, & O. rationale est risibile: & quia (vel, si) homo est rationalis, est risibilis.

IV. Comparativam. Quæ si fuerit. propriæ dicta, per tres simplices Exponitur ita: Aer est humi-

humidior aquâ. Aer est humidus, & aqua est humida, & aer humiditate superat aquam; aut, aqua cedit aeri humiditate.

Sin impropiè dicta: quando medium comparationis inest uni tantum, per duas simplices Exponitur ita. Nubere melius est quam uri. Nubere bonum est, & uri bonum non est, seu malum est. 2. Neutri; per oppositum mediū cum adverbio minus, Exponitur ita: Ebrietas est melior adulterio. Ebrietas est malum, & adulterium est malum, & ebrietas est minus malum quam adulterium.

V. Inceptivam & Desitivam. Quarum ultraq; per unam compositam ex duabus simplicibus Exponitur; sed differenter, prout utrobiq; res est permanens, aut successiva.

Si permanens, hunc in modum. Arbor incipit esse. Arbor nunc est, & immediatè ante hoc non erat. It. Arbor definit esse. Arbor nunc est, & immediatè posthoc non erit. Sin successiva; tali modo. Motus incipit esse. Motus nunc non est, & proximè post hoc temporis punctum erit. It. Motus definit esse. Motus nunc non est, & immediatè ante hoc fuit.

VI. Discrepativam. Quæ per tres Categoricas Exponitur copulativè, sic: Homo differt ab e-

Dd 3

quo.

quo. Homo est, & equus est, & homo non est equus.

Tantum de Propositione Simplici, cum pura, tum determinata, voce vel modali, vel exponibili; PROPOSITIO COMPOSITA est, quæ constat ex pluribus simplibus. Aut, quæ vinculo coniunctionali constat.

Prior, materiam; posterior, formam exprimit. Hec, utrāq,: Enunciatio composita est, quæ constat ex pluribus enunciationib⁹ simplicib⁹, particula coniunctionali combinatis. Vocatur alias Hypothetica; potissimum ideo, quod inter compositas, conditionalis excellat. Atq, differt ab Enunciacione plures, seu multiplicata: quæ talis, aut ob homonymiam, vel amphiboliam; aut ob res disparatas, distinctis enunciationibus, vinculo coniunctionali destitutis, insinuatas. V. gr. Deus est æternus, Mundus perit. Ignis est calidus, aer est humidus.

Estq, Varietatem attendendo I. Specificam; partim Absoluta, quando vinculum coniunctionale grammaticum facit compositionem absolutam: vel Comparativa, quando vinculum coniunctionale logicum facit compositionem respectivam.

Dicitur a. vinculum coniunctionale logicum, terminus qui vim habet connectendi distinctas sententias.

Abs-

*Absoluta*, rursus est vel *uniformis*, vel *biformis*, & quasi *mixta*.

*Uniformis* est tum *Congregativa*, cuius partes principales uniuntur aliquā coniunctione congregandi vim habente: tum *Segregativa*, cuius partes principales dividuntur aliquā coniunctione segregandi vim habente.

*Congregativa* rursus est vel *Connexiva*, vel *Copulativa*.

*Connexiva* est, in qua partes combinantur coniunctione conditionalit. Qualis est: Si, Sin, Ni, Nisi. V. gr. Si secundū carnem vixeritis, moriemini. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit regnum cælorum. Hinc etiam *Conditionalis* alias vocatur. Spe-  
tant huc ablativi consequentia. V. gr. Moriente Christo, sol obscuratur. Natō Christō de-  
scenderunt Angeli de cælo.

*Copulativa* est, in qua partes combinantur co-  
niunctione copulativâ. Qualis est: Et, Ac, Atq; Que, Necnon, Item, Non solum-sed etiam, & similes. Pertinent huc enunciationes, in quibus non expreſſe ponitur coniunctio copulativa, sed subintelligitur; uti fit in locutionibus aſynthe-  
tis. E. gr. Ignis illuminat, calefacit, attenuat, liquefacit.

Estq; talis ex parte vel subiecti; V. gr. Sol  
Dd 4 & he-

& homo generant hominem: vel *predicati*; V. gr. Calor attenuat, & rarefacit: vel *uniusq<sub>3</sub>*; V. gr. Deus est infinitus, & angelus est finitus.

*Segregativa* est vel *Disjunctiva*, vel *Discreta*. *Disjunctiva* est, cuius partes disjunguntur coniunctione *disjunctivâ*. Qualis est; Aut, vel, seu, sive. V. gr. Aut fide justificamur, aut operibus. Deus est spiritus finitus, vel infinitus. **A** Scholasticis *alternativa* dicitur: quod ex duobus alterum intendatur. Vocatur etiam *confusa*; quod nullam partem determinate significet.

*Discreta* est, cuius partes disjunguntur coniunctione *discretivâ*. Qualis est; Quanquam-tamen, Licet-tamen, Etsi-tamen, &c. E. gr. Quanquam Deus permittit peccatum, tamen non est autor peccati. Licet homo sit immortalis conditus, tamen moritur.

*Biformis* constat ex *conditionali*, & vel *copulativâ*, V. gr. Si recte credideris, & bene vivieris, pie morieris. Vel *disjunctivâ*, V. gr. Si pulmo marinus est animal, erit aut brutum, aut homo.

*Comparativa* fit, respectu *Quantitatis*; Ut, peccatum tanto conspectius in se crimen haberet, quanto maior, qui peccat, habetur. 2. *Quantitas*

*Litteris*; Ut, qualis rex, talis grex. 3. *Temporis*; Ut, quando sceptrum ablatum erit à Juda, veniet Silo. 4. *Loci*; Ut, ubi multum crucis, ibi multum lucis. 5. *Cause*; Ut, quia sol lucet, dies est. 6. *Proportionis*, & *analogiae*; Ut, quemadmodum ignis explorat aurum, ita calamitas amicum. 7. *Relationis*; Ut, is est veus Messias, qui natus est ex Virgine. 8. *Illationis*; Ut, Sol lucet, E. dies est. Aut, dies est, E. Sol lucet.

Quidam tamen huiusmodi propositiones reducunt, partim ad simplices; ut comparativam relationis: partim ad alias compositas, quas absolutas dicimus; & quidem, aut ad copulativas, aut ad conditionales: partim ad syllogismum imperfectum; nempe causalem, & rationalem.

II. *Affectivas*; respectu, *Qualitatis*, I. *Essentialis*, vel *affirmativa*, cùm vinculum principale liberum est à negatione: quicquid sit de simplicibus ex quibus constat. E.g. Silapis est substantia, per se subsistit, Si sol non est ortus, non est dies. Vel *negativa*, cùm vinculum principale negationem præfixam habet. Ut, non si lapis est substantia, per se subsistit. Non si sol est ortus, non est dies.

II. *Accidentalis*, vel *vera*; quæ requirit, in conditionali, s. *connexiva*, ut antecedens con-

Dd 5 tineat

tineat idoneam causam consequentis, in affirmativis, & in negativis, ut antecedens non contineat veram causam consequentis: quicquid sit de veritate partium, ex quibus constat. E. gr. Si lignum est corpus, erit materialium. Non si planta vivit, sentit. Si bos volat, habet pennas.

In Copulativa, ut ipsae partes in se consideratae, sint verae. V. gr. Christus resurrexit a mortuis, & ascendit in cælum,

In Disjunctiva, ut una pars vera sit, altera falsa. V. gr. Deus est Spiritus, aut corpus, Vacuum est substantia, vel accidens.

In Discreta, ut partes dissentiant solùm respectu subjecti. V. gr. Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses. Et hæc enunciatio, licet non habeat conspicuum usum dialecticū, in structura syllogistica, tamen insignem habet usum noeticum, in formandis & dijudicandis enunciationibus, cùm exempla frequentiissima non solùm autores classici, sed & quotidianus usus suppeditat. Fitq; vel ex diversis, vel etiam ex consentaneis contingenter connexis.

Vel Falsa; quæ requirit in Conditionali, ut in affirmativis, antecedens non contineat idoneam causam consequentis; & in negativis contineat. E. gr. Sistella movetur, habet animam. Non si Deus justus est, punit peccata.

In Co-

In *Copulativa*, ut vel omnes partes, ex quibus constat, vel una saltem, in se falsa sit. E. gr. Christus est persona simplex, & finita, Christus secundum humanam naturam ait cedit in caelum, & amplius non est nobiscum.

In *Disjunctiva*, ut omnes eius partes sint vel verae, vel falsae. V. gr. Pygineus est vel homo, vel animal. Hislopus est aut arbor, aut frutex, aut herba.

In *Discreta*, ut partes suâ naturâ non dissident in eo subiecto, de quo removetur alterum. V.g. Quanquam angelus est spiritus, tamen non est immortalis. Licet homo vivit, tamen non respirat.

Respectu quantitatis; vel *Universalis*, vel *Particularis*. Qualis tamen non est, nisi per accidentem, & resp. propositionum simplicium, ex quibus directe constat, aut quas in se, saltem potentiam, continet.

### SECTIO III.

#### De Affectione Propositionis.

*Affectio Propositionis* est vel *absoluta*, vel *respectiva*. Illa, uni propositioni seorsim ac per se sumptae convenit; haec, quat. una propositionum alia confertur.

MEM.

## MEMBUUM I.

## De Affectione Absoluta.

*Affection Propositionis Absoluta*, quintuplex  
cum primis datur. Estq;

I. Ellipsis; cum in enunciatione pars aliqua, sim-  
pliciter necessaria, desideratur,

Quæ, vel nomen, seu subiectum; V. gr. Eru-  
bescit, Tonat, vivitur ex rapto. Vel Copula  
verbalis substantiva; V. gr. O. rarum, cha-  
rum, Parsimonia magnum vectigal. Vel ip-  
sum verbum, seu predicatum; V. gr. in oratione  
per apophæsin facta: Deus te, Iupiter illū.

II. Pleonasmus; cum in enunciatione re-  
dundat aliquid, ex concurso syncategorematum cum  
partibus principalibus. Quo spectant in primis  
circumlocutiones, & amplificationes extre-  
morum. Ut in illo Danielis, c. 9. Qui docti  
fuerunt, & alios erudierunt ad justitiam, ful-  
gebunt sicut stellæ in firmamento cœli. Ubi  
si pleonasmus removetur, talis erit Enunci-  
atio: Docti fulgebunt in cœlo.

III. Metathesis; cum naturalis situs partium  
immutatur. Atq, primum locum occupat, vel  
integrum verbum, seu predicatum; V. gr. Co-  
ronat victoria, Est magnus quæstus pietas.  
Vel solum vinculum verbis substantivi; V. gr.  
Est angelus immaterialis, Sunt dæmones  
spiritus.

IV. In-

iv. Interpretatio; quâ verus sensus enunciationis logicè redditur. Eaq, perficitur obscuritatis; tum manifestatione, detegendo causam ex qua propositionis obscuritas provenit: quæ est, in interpretatione verbali, vocis aut orationis vel insolentia, vel ambiguitas & perplexitas. Reali; vel linguæ cuiusdam, aut idiotismi, vel logicæ, vel terminorum disciplinariū ignoratio, vel etiam eorundem confusio, vel scopi principalis, aut causarum impellentium posthabitio, vel contextū, circumstantiarum, collationis locorum parallelorum, interpretum, neglectio, vel quippiam aliud.

Tum remotione, tollendo causam ex qua proficiscitur obscuritas enunciationis. Id quomodo fieri debeat, alibi tradetur: interea consulatur præcæteris Cl. Danhavveri Idea B. Interpretis.

v. Limitatio, quâ sensus propositionis restringitur ad certam acceptiōnē, prout exigit materia. Fitq, per determinationē aut generalem; uti sunt termini, Per se, vel per accidens: per se, vel per aliud: absolutē, vel hypotheticē: absolute, vel comparativē: materialiter, vel formaliter: formaliter, vel virtualiter aut eminenter: immediatē, vel mediatē, &c. Aut specialem, certaq, materiæ propriam. Ut in hac;

hac; O. generatio est mutatio, O. generatio multiplicat essentiam. Scilicet, O. generatio physica corporis naturalis. Malum est nō ens. sc. malum transcendentale. Solus Deus habet immortalitatem. sc. omnimodam.

### MEMBRUM II.

#### De Affectione Respectiva.

*Affectio Propositionis Respectiva* concernit enūciationum inter se collatarum, aut *Dissensum*, ut *Diversitas*, & *Oppositiō*; aut *Consensum*, ut *Æquipollentia*, *Conversio*, *Consecutio*.

### PUNCTUM I.

#### De Diversitate Propositionum.

*Diversitas* est *dissensus enunciationum sine pugna*. Cujus observanda partim *variatio*, partim *conciliatio*.

*Variatio triplex* occurrit. Una *Verbalis*; tantum in vocibus consistens. E. gr. Tullius est summus Orator, Et, Cicero dicendi magistros ad unum omnes superat. Quidam hoc referunt *propositiones subcontrarias*. V. gr. Q. homines sunt electi, Q. Homines non sūt electi.

Altera, *Realis*; tantum in rebus consistens. E. gr. Coquus delectatur jure, Coquus non delectatur jure. Cancer est pisces, cancer non est pisces.

Tertia

Tertia, *Mixta*; partim in vocibus, partim in rebus consistens. E. gr. Deus omnes homines ab æterno dilexit, Deus quosdam homines ab æterno non elegit.

*Conciliatio* modum ostendit, pugnantes in specie propositiones, ad convenientiam reducendi. Fitq; potissimum dupliciter. I. per resolutionem propositionum in terminos simplices, ut horum consensus appareat. II. per observationem requisitorū oppositionis genuinæ. Vid. Keckermannus in Gymnas. Log. I. 2. cap. 4. p. m. 288.

### PUNCTUM II.

#### De Oppositione Propositionum.

*Oppositio* est dissensus enunciationum cum pugna. Estq; materialis, vel formalis.

*Materialis* est tum *Explicita*, quā pugnant duæ propositiones eiusdem qualitatis, ob solam terminorum oppositionem. V. gr. Deus est iustus, Deus est autor peccati. Tum *Implicita*, quā pugnant unius propositionis extrema, propter indebitam oppositorum compositionem. V. gr. Pygmæus est homo rationis expers.

*Formalis* est attendenda, quoad species & leges.

*Species* sunt vel *legitima*, quoties pugnant duæ propositiones, per expressam affirmatio-

tionem & negationem eorundem extre-  
rum: vel *illegitima*, quando secus est.

*Specierum legitimarum observanda sunt fun-  
damenta, requisita, genera.*

*Fundamenta* sunt; 1. Non potest idem si-  
mul esse, & non esse. 2. De unaquaque re ve-  
ra est affirmatio, vel negatio.

*Requisita* sunt identitas & diversitas.

*Identitas*, partim *quoad terminos*, & mate-  
rialiter, & formaliter, h. e. simul penes vo-  
cem & significationem, spectatos. Unde nō  
sunt opposita; Nix est alba, nix est nigra, Ca-  
nis latrat, canis non latrat.

*Partim quoad ordinem terminorum*: ne vide-  
licet extrema situ permutentur. Unde non  
est oppositio; O. lapis est homo, N. homo  
est lapis.

*Diversitas*, *quoad qualitatem*, h. e. affirma-  
tionem & negationem.

Etiam requiritur ad oppositionem enun-  
ciativam, ut termini sumantur numero singulari,  
non plurali. Quippe numerus pluralis facit e-  
nunciationem non unam, sed plures. V. gr.  
non valet. N. homines redemerunt nos à pec-  
cato. Q. homines redemerunt nos à peccato.

*Genera* sunt oppositio partim *Contraria*,  
partim *Contradictoria*.

Oppo-

*Oppositiō Contraria concernit enunciationes e-  
iusdem quantitatis. Nimirūm Universales. E.  
gr. O. Stella scintillat, N. stella scintillat.*

*Contradic̄toria talis est, vel per se; quā pug-  
nant enunciationes diverse quantitatis. scilicet,  
Universalis, & Particularis. Atq; fit forma-  
liter & immediate, si particula Non alteri pro-  
positioni pr̄figitur, E.gr. O. homo discur-  
rit, Non omnis homo discurrit. 2. conseq̄uen-  
ter & mediately, si particula Non copulam ante-  
cedit, E.gr. O. homo discurrit, Q. homo nō  
discurrit.*

*Vel de lege; quā pugnant due propositiones  
singulares. Quarum una necessariō vera, alte-  
ra necessariō falsa: quemadmodum in alijs  
contradictorijs. E. gr. Petrus, abnegando  
Christum, mortaliter peccavit. Petrus abne-  
gando Christum, non mortaliter peccavit.  
Licet ergo tales oppositae propositiones, at-  
tendendo quantitatem, oppositionem con-  
trariam habere videantur, tamen attenden-  
do veritatem, ad contradictoriam recte refe-  
runtur.*

*Species illegitima sunt, 1. Cūm due particula-  
res enunciationes diverse qualitatis assumun-  
tur: & dicitur Oppositiō Subcontraria. V. gr. Q.  
homo salvatur, Q. homo non salvatur. Ubi*

Ee

non

non servatur idem subiectum, uti lex oppositionis vult.

II. Cum particularis sub universalis sumitur: & dicitur Opposito Subalterna. V. gr. O. Stella movetur, Q. stella movetur. N. Ignis vivit, Q. ignis non vivit. Ubi prorsus non est oppositio, sed subsumptio.

Leges insinuantur hæ Regulæ. I. In contrariis utraq; potest esse falsa, sed utraq; non potest esse vera. V. g. O. homo est doctus, N. homo est doct.

II. In conradictorijs, semper una vera, altera falsa est. V. gr. O. homo est animal, Q. homo non est animal.

III. In subcontrariis, utraq; non potest simul esse falsa, sed utraq; potest simul esse vera. V. gr. Q. homo est doctus, Q. homo non est doctus.

IV. In subalternis, si subalternans est vera, etiā subalternata est vera: sed nō vicil. Et, si falsa est subalternata, etiā subalternans est falsa: sed nō vicissim. E.g. valet; Q. homo est doct⁹, E. Q. ho. est doctus. Sed non valet; Q. homo est doctus. E. O. homo est doctus. It. Q. lapis est spiritus, E. O. lapis est spirit⁹. Utraq; est falsa. O. homo est niger, Q. homo est niger. Univerā, non est statim altera vera.

Nota: In modalibus divisis eodem modo fit oppositio, quo sit in absolutis. Providendum tamen

ut

at idem maneat termini, nec finiti mutentur in infinitos.

2. In modalibus cōjunctiū dictum proſus immutatum maneat: atq; negatio modum afficiat.

3. Propositionibus compoſitis non convenit oppoſitio contraria, ſed tantum contradictoria. Contradictionem verō, non ex qualitate partium, ſed ex negatione conjunctionis, deſtimamus.

### PUNCTUM III.

#### De Aequipollentia Propositionum.

Aequipollentia eſt enunciationum verbis diſcrepantiū, in ſenſu conuenientia. Cujus atten-dendae ſunt leges, &c species.

Leges expetunt, I. Enunciationum pluralitatem. Unde Canon; O. aequipollens dicitur per ordinem ad aliud. II. Verborum in enunciatione diversitatem. Unde Canon; Diversitas verborum non tollit identitatem ſenſus. III. ſenſu in enunciatione identitatem. Unde Canon; Identitas ſenſus non tollit diversitatem verborū.

Species ſunt, aequipollentia Formalis & Materialis.

Aequipollentia Formalis eſt, cum enunciations eandem enunciandi formam, & efficaciam obtinent. E.g. Necesse eſt scandalum venire, Et Scandalum necessarium veniunt. Impossibile eſt

Eg 2

Deum

Deum mentiri, Et, Deus non potest mentiri.

Æquipollentia Materialis est, cum enunciationes in ipsa conveniunt. Estq, talis ex convenientia

I. Extremorum : in lingua, vel cādem, E. gr. Gladius est ens artefactum, Et, ensis est res arte producta. Vel diversā, V. gr. Deus est Spiritus, Gott ist ein Geist.

II. Signorum, in enunciationibus oppositis : juxta versiculum: Prae, contradic : Post, contra : Prae, postq, Subalter. Ita, sunt Contradicторia. O. homo est bipes, Q. homo non est bipes. Æquipollent; Non omnis homo est bipes, & quidā homo non est bipes. Item, Non, Q. homo non est bipes. Et, O. homo est bipes.

Sunt Contraria. O. homo est bipes, N. homo est bipes. Æquipollent; O. homo non est bipes, Et, N. homo est bipes. Item, N. homo non est bipes, Et, O. homo est bipes.

Sunt Subalterna. O. homo est bipes, Q. homo est bipes. Æquipollent: non O. homo non est bipes, Et, Q. homo est bipes. Item, non Q. homo non est bipes, Et, O. homo est bipes.

III. Modorum, in enunciationibus modalibus. Quarum æquipollentia, quatuor hisce vocabulis innui solet, Amabimus, Edentulus, Iliace, Purpurea.

In qui-

In quibus prima syllaba, propositionem de Possibile; Secunda, propositionem de Contingens; Tertia, propositionem de Impossibile; quarta, propositionem de Necesse, notat.

Potestas a. quatuor vocalium, in singulis terminis quadrisyllabis, exprimitur isto versiculo; E. dictum negat: Ig<sub>3</sub> modum: nihil A; sed U totum.

Sunt ergo Modales æquipollentes.

A-	Possibile est hominem esse doctum.
ma-	Contingens est hominem esse doctum.
bI-	Non impossibile est hominem esse doctum.
mus,	Non necesse est hominem non esse doctum.
E-	Possibile est hominem non esse doctum.
dEn	Contingens est hominem non esse doctum.
tU-	Non impossibile est hominem non esse doctum.
H-	Non necesse est hominem esse doctum.
J-	Non possibile est hominem esse doctum
II-	Non contingens est hominem esse doctum
A-	Impossibile est hominem esse doctum.
ce	Necesse est hominem non esse doctum.
pUr	Non possibile est hominem non esse doctum.
pU-	Non contingens est hominem non esse doctum.
te-	Impossibile est hominem non esse doctum.
A.	Necesse est hominem esse doctum.

IV.

**IV. Respectuum aliorum. Et quidem in Enūciationibus Simplicibus.**

1. *Affirmativa de predicato infinito, aequipollat negativa finita.* V. gr. homo est non lapis, Et homo non est lapis.

2. *Negativa de predicato finito, aequipollat affirmativa de predicato infinito.* V. gr. homo non est lapis. Et, homo est non lapis.

3. *Affirmativa finita, & negativa infinita aequipollent.* E. gr. homo est animal, Et homo non est non animal.

4. *Dua negationes aequipollent affirmationi, scilicet, apud Latinos.* V. gr. N. homo non est animal, Et, O. homo est animal.

5. *Affirmatio privationis, & negatio habitus in subjecto capaci, aequipollent.* V. gr. Bartimaeus est cæcus, Et, Bartimaeus non videt.

6. *Universalis aequipollat aggregato particularium.* E. gr. O. Animal sentit, Et, bestia sentit, avis sentit, piscis sentit, vermis sentit, homo sentit, Petrus sentit, &c.

7. *Universalis aequipollat omnibus singularibus sub ipso comprehensis.* E. gr. homo est rationalis, Et, Petrus est rationalis, Paulus est rationalis, Magdalensis est rationalis. &c.

8. *Universalis restricta aequipollat particulari.* V. gr. O. homines qui credunt salvantur, Et, Q. homines salvantur.

9. Par-

9. Particularis equipollet disjunctioni omnium singularium. E. gr. Quidam filius Noe maledictus est, Et vel Sem maledictus est, vel Japhet maledictus est, vel Cham maledictus est.

10. Indefinita, in materia necessaria, equipollent Universali; in contingente, Particulari. V. g. homo est rationalis, & O. homo est rationalis. homo est doctus, & Q. homo est doctus.

11. Propositioni figurata dari potest equipollens propria. V. gr. Herodes est vulpes, &, Herodes est astutus.

12. Propositioni inusitatæ dari non potest equipollens usitata. V. gr. Deus est homo, Deus est mortuus. Äquivalentes usitatas haut admittunt.

In Enunciationibus Compositis. I. Hypothetica impossibilis equipollet simplici neganti. V. gr. Si Oceanus exsiccabitur, erit piscis avis. H. e. Piscis nunquam erit avis.

II. Vera connexiva sèpè equipollet simplici. V. gr. Si est homo, est animal, Et, homo est animal.

III. Enunciatio disjunctiva equipollet quatuor connexus. E. gr. Aut dies est, aut nox est. Äquipollent: Si est dies, non est nox. Si non est dies, est nox. Si est nox, non est dies, Si non est nox, est dies.

## PUNCTUM IV.

## De Conversione Propositionum.

**Conversio est commutatio terminorum enunciationis, seruat à qualitate.** Cuius observandæ sunt Conditiones, & Species.

Conditiones sunt; I. Extremorum translocatio. Et hīc

I. Totum subjectum unius enunciationis, fiat praedictatum alterius: & viceversa. Ita non est bona conversio: Petrus videt Paulum, E. Paulus videt Petrum. Sed: E. Videns Paulum est Petrus.

2. Si in convertenda, post copulam, est casus obliquus, praefigatur ipsi partic. Existens, aut Ens, ut aptum sit subjectum convertentis. V. gr. Johannes est in domo. Non convertitur; E. domus est in Johanne. Sed: existens in domo, est Johannes.

3. Si subjectum conversa sit casus obliquus, ut contingit in oratione factâ per verbū impersonale, prius ille mutetur in casum rectum, quam fiat transpositio. V.g. Me tādet vivere. Convertatur: ille quē tādet vivere, sum ego. Socratis est disputare. Convertatur: Is, cuius est disputare, est Socrates.

II. Propositionum duplicatio. Quarum prior

con-

convertenda, conversa, præjacens; posterior  
convergens appellatur.

III. Propositionum eadem qualitas; quâ vel  
affirmans, vel negans est utraq; vera quoq;  
vel falsa.

IV. Consequentie bonitas; quâ convertens  
ad conversam ultrò sequitur.

Species concernunt propositionem, aut ab-  
solutam, aut modalem. Estq; sic conversio

1. Respectu propositionis Absolute; Simplex,  
Per accidens, & per Contrapositionem.

Conversio Simplex est, ubi servata quantitate  
converritur Universalis Negans, & Particularis  
Affirmans. E.gr. N. avarus est justus, E. nullus  
justus est avarus. Q. lapis est niger, E.Q. ni-  
grum est lapis.

Præterea 1. Singularis de prædicato singula-  
ri; tam affirmans, quam negans. E. gr. Socrates  
est hic Philosophus, E. hic Philosophus est Socrates.  
Paulus non est Petrus, E. Petrus non est Paulus. 2.  
Universalis affirmans, quæ constat terminis  
reciprocis. E. gr. O. materiarum est quantum, E.  
O. quantum est materiatum.

Conversio per Accidens est, ubi mutata quâ-  
titate, convertitur Universalis Affirmans & Ne-  
gans. E. gr. O. Spiritus est substantia. E. Q.  
sub-

Substantia est spiritus. N. Spiritus est corporatus, E. Q. corporeum non est spiritus.

*Insuper 1. Particularis affirmans, de praedicto singulari. V. gr. Q. Philosophus est Socrates, E. Socrates est Philosophus. 2. Singularis, de praedicato communis, tam affirmans, quam negans. E. gr. Socrates est homo, E. hic homo est Socrates. Socrates non est imperator, E. Hic imperator non est Socrates.*

Conversio per Contrapositionem est, ubi termini traslocandi, simul infinitantur: eamq. sustinet Universalis affirmans, & Particularis negans. E. gr. Q. animal est corpus, E. O. non corpus est non animal; Et, quod æquivalet: O. quod non est corpus, non est animal. Q. homo non est doctus, E. Q. non doctum non est non homo. Cui æquipollit: Q. non doctum est homo.

Principales harum conversionum gradus insinuant versiculi;

Feci simpliciter convertitur: Ant E per Acci:  
Faleo per contra: sic fit conversio tota.

II. Respectu propositionis Modalis: si fuerit Disvisa, nil differt à conversione Propositionis de inesse. Sin Coniuncta; tripliciter fieri potest.  
1. translatinge simpliciter modum & dictum. E. gr. Necesse est hominem esse animal, E. hominem esse animal, necesse est.

2. S4-

2. Sumendo dictum cum periphrasi singularitatis; Illud, hoc, aut haec enunciatio. V. gr. hominem esse animal, necesse est: convertitur ita per accidens, E. quodd. quod necesse est, est illud, hominem esse animal. Per contrapositionem: E. quod non est necesse, non est illud (aut hoc) hominem esse animal.

3. Mutando solum dictum, Modo in sua sede non mutato. Sieq, modales de Necesse, & Possibile, prout dictum fuerit universaliter negans, aut particulariter, vel universaliter affirmans, eodem modo convertuntur, quo purae, quoad conversionem simplicem, & per accidens. E. gr. Necesse est. N. lapidem esse hñem, E. necesse est, N. hñem esse lapide. Possibile est, aliquid animal esse albū, E. Possib. est, Q. albū esse animal. It. necesse est, O. hñem esse animal. E. necesse est. Q. animal esse hñem. Necesse est N. spiritu esse accidens, E. nec. est, Q. accidens non esse spiritu.

Modales affirmantes de Contingens, si dictum fuerit Universale, convertuntur per accidens: ast Particularis Negans, planè non convertitur. Pleniùs haec alibi, cum Deo.

### PUNCTUM V.

#### De Consecutione Propositionum.

Consecutio est illatio unius enunciationis ex aliis facta sine medio termino. Cuius fundamentum & subjectum in primis notandum. Funda.

Fundamētum est facunditas propositionū, quā una aliam immediatē quasi gignit.

Subjectū, est part. Enunciatio: seu Simplex, ea-  
que tum Absoluta, considerata penes quidditatem,  
& quantitatem, aut in se speccata, aut cum qual-  
itate, vel quidditate cōiunctam, tum Determinata,  
per particulam Exponibilem : seu Composita.  
Partim Enunciationis Affectio.

I. Quoad Enunciationem simplicem Absolu-  
tam, attendendo

1. Quidditatem. I. Ab Est tertij adjecti, ad Est  
secundi adjecti, V. Conseq. V. gr. Johannes est do-  
ctus, E. Johannes est. Verū tamen valet, nō  
in negativis, sed affirmativis, & quidem non  
in exclusivis, sed absolutis, ijsq, de materia,  
non necessaria, sed contingente, nisi prædica-  
tum sit terminus distrahens, h. e. removens  
existentiam; qualis est futurus, præteritus,  
combustus, mortuus, generandus, opinabilis,  
imaginabilis, & id genus. E. gr. Non valet;  
lapis non est ignis. E. lapis non est. Tantū  
homo est rationalis, E. tantū homo est. Ho-  
mo est animal. E. homo est. Johannes est  
mortuus, E. Johannes est, &c.

2. A Coniunctis ad Divisa, V. Conseq. & rīcissim  
E. gr. homo est animal rationale, E. homo est  
animal, & est rationalis. Item, homo est ani-  
mal

mal, & est rationalis, E. est animal rationale. Sed tamē in prædicato coniuncto, non debet alter termin⁹ æquivocè subiecto convenire. (2) non debet terminus aliter supponi in di- viso, quām significat in abstracto. (3) prædi- cata coniuncta non enūcientur de se merè per accidens. (4) non dicantur ea simul, quorum unum inest alteri. Sic N. V. Petrus est homo mortuus, E. est homo. Apelles est pictor bon⁹ E. est bon⁹ sc: moraliter. Euclides est Mathe- maticus, & est albus, E. est Mathematicus albus. Johannes est homo, & est animal, E. est homo animal.

113. A propositione verbi activi, ad passivam sibi correspondentem, V. Conseq. V. gr. Petrus amat Christum, E. Christus amatur à Petro.

114. Quantitatem, in se spectatam. 1. Ab Uni- versali ad subalternam, indefinitam, & singularem quamcumq; V. Conseq. V. gr. O. homo est ri- sibilis, E. Q. homo est risibilis, E. homo est ri- sibilis, E. Petrus est risibilis, E. Gertrudis est risibilis, &c.

2. Enunciatio singularis auxiliatur constructione Universali; si par est omnium singularium ratio, quo- ad prædicatum. E. gr. Abraham justificatus est fide, E. O. homo justificatur fide.

3. A particulari ad singulares suas, disjunctive  
V. Con-

V. Conseq. V.g. Q. Apostolus raptus est in territium cælum, E. vel Paulus, vel Petrus, &c.

iii. Quantitatē, cum Qualitate, vel Quiditate coniunctam. 1. Ex universalis affirmante, sequitur universalis negans: & contra. V.g. qui habet filium Dei, habet vitam æternam, E. qui non habet filium Dei, non habet vitam æternam. Rursus: Qui non habet, &c. E. Qui habet filium Dei, habet vitam æternam.

2. Affirmativa prædicati finiti, & negativa prædicati infiniti, se mutuo consequuntur. cum in universalibus, tum in particularibus, E. gr. O. homo est animal, E. N. homo est non animal, Q. homo est doctus, E. Q. homo non est non doctus. Et vice versa.

3. Negativa prædicati finiti & affirmativa prædicati infiniti, se mutuo cōsequuntur. V. gr. N. homo est lapis, E. O. homo est non lapis. Q. homo nō est doctus, E. Q. homo est non doct⁹.

4. In affirmativis à termino privativo ad infinitū  
V. Conseq. Sed non contra. V. gr. Johannes est injustus, E. Johannes est non justus. Ast N.  
V. lapis est non justus, E. lapis est in justus.

5. A per se ad de omni V. Conseq. Non tamen  
vicissim. E. gr. homo per se ridet, E. O. homo  
ridet. Ast non; O. homo est figuratus, E. hom⁹  
per se est figuratus.

**II. Quoad Enunciationem simplicem Determinatam particulâ Exponibili. In genere; Ab expōnibili ad exponentes V. Conseq.**

In specie. 1. Ab Exclusiva, & Exceptiva, ad exponentes suas, & harum convertentes, V. Conseq. V.gr. Solus homo est rationalis, E.homo est rationalis, & quicquid non est homo, non est rationale, E.quicquid non est rationale, non est homo. O.animal, præter hñem, est irrationale, E.homo nō est irrationalis, & alia, que sunt animal, sunt irrationalia.

2. A Quatenus ad per se, V. Conseq. Non tamen vicissim. E.g. homo, quat. animal, sentit. E. animal per se sentit. Ast non; homo per se sentit, E. quat.homo sentit.

3. A Quatenus ad de omni, V. Conseq. Non tamen vicissim. V.g. Homo, qu.homo, discurrit, E.O.homo discurrit. Ast non: O. homo est peccator, E.homo, quat.homo, est peccat.

**III. Quoad Enunciationem Cōpositam. I. Ab Hypothetica ad suam simplicē, si quam habet universalem, V. Conseq. V.gr. Si bō est animal, sentit, E. O.animal sentit.**

2. A Copulativa vera, ad simplices eius, V. Cōseq. V.g. Christus est & verus Deus, & verus homo, E. Christus est verus Deus, Christus est verus homo.

3. A Copulatiya negata, ad disjunctivam affirmatam, sub extremis negatis, V. Conseq. V. gr. Nō Petrus est & equus & homo, E. Petrus vel non est equus, vel non est homo.

4. A Discreta ad eius simplices, V. Consequent. E. gr. Quanquam Ulysses est facundus, tamē non est formosus. E. Ulysses est facundus, E. Ulysses non est formosus.

5. Aparte disiuncta, ad disjunctivam totam, V. Conseq. Sed non contra. V. gr. Petrus est homo, E. Petrus est homo, vel bestia. Sed non vicissim; Petrus est homo, vel bestia, E. Petrus est bestia.

IV. Quoad Enunciationis Affectionem: attendo, 1. Oppositionem. 1. A veritate unius contradictione, ad falsitatem alterius, V. Conseq. sed non contra.

2. A veritate unius contradictione, ad falsitatem alterius, V. Conseq. Et contra.

3. Equipollentiam. Ab equipollente una, ad equipollentem aliam, V. Conseq.


III. Conversionem. A convertente ad conversam, & vicissim, V. Conseq.


Exempla facile proferuntur ex antegressa singularium affectionum istarum tractatione.











the scale towards document

mls.

302

um argento, argentum  
ab estimio nostro. Quā  
ritas i. potestatis; quo-  
nsul senatore prior est.  
obis unus amicus inti-  
nitur etiam in disciplinis  
in subiecto nobiliori  
ribus, aut evidentiori-  
progrediuntur. Illo re-  
ca quām Mathesis; hoc,

citur, quod essentiam da-  
causam vel efficientem.  
tem efficientiae, causali-  
tivae, nominant. Vel  
re causæ materialis: vel  
d formam dirigentem:  
iae causæ dependent, ut  
luere. Quidam ita de-  
, quod cum aliquo essendi  
, cuius est causa. Verūm  
dus Prioris causâ nota-  
e sunt æqualis ambitus;  
risibilitatis, solis ortus  
prius causâ duo requirit,  
ab altero dependeat, in  
communicat; alterum  
one convertibilia, quo-  
aturâ. Quamvis Scheib-  
lerus,